

www.e-rara.ch

Caroli Sigonii historiarum de occidentali imperio libri XX. ...

Sigonio, Carlo

Francofurti, 1593

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RI 49 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25378>

Liber XVI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XVI,

Qui est regni Gotthorum in Italia primus.

10

THEODORICVS REX.



REGNUM inde Gotthorum in Italia exponere pergam, memorabili casuum in vtramque partem varietate nobilitatum. His enim dominantibus, Italia optatam aliquando pacem, ac quietem adepta primum omni genere prosperitatis effloruit, deinde nouis bellorum fluctibus agitata vsque ad extremam urbium desolationem, gentisq; internicionem, miro quodam, ac præcipuo Fortunæ ludo, elanguit. Felicitatis autem materiam rex, de quo loquimur, Theodoricus, calamitatis reliqui deinceps præbuerunt. De quo Theodorico scribere, quàm copiosissime poterimus, in summo veterum annalium silentio, persequemur.

REM prospere ad Rauennam gestam vbi Gotthi nouerunt, qui se Ticini per triennium cum inutili sæminarum, puerorum, grauiorisq; ætatis multitudine continerant, alacres tandem inde, tanquam ex carcere, euolauerunt, & sese ad Theodoricum tantam gratulatum victoriam contulerunt. Quare animaduersa, Rugi, qui Odoacri paruerant, occasione vsi, repentino impetu facto, vacuum oppidum occuparunt, ibiq; confirmati non urbem solum, sed omnia etiam circumiecta vrbi loca sæda populatione vexarunt. quo tempore Epiphanius rursus maximum laboranti ciuitati auctoritate sua præbuit adiumentum. nam & ciues in extremam rerum suarum desperationem adductos bonum animum habere, spemq; in Deo collocare iubens erexit, & barbarorum animos insolentia elatos miti sermone, ac clara sanctitatis opinione ita leniuit, vt eis timori cœperit esse, qui regum non dubitabant imperium fastidire. Theodoricus autem Rauenna potitus, reliquas Italiæ partes, sicubi aut auersus animus, aut suspecta fides erat, pacare, atque ad sui obsequium redigere institit. Quo facto, Dalmatia, ac Rhætia, quæ Odoacris in potestate fuerant, ipsius se quoque Imperio subiecerunt. nam Siciliam obstinate tumultuantem opera Cassiodori in ea præfecti sine armis ad auctoritatem, fidemq; suam traduxit. ac deinde exercitum ad Ticinum ex Rugorum manibus extorquendum immisit. quod postero anno, Asterio, Præsidioq; consulibus, prospero demum rerum omnium successu adeptus, prudenter victoriæ modum adhibuit, ac, triumpho de hostibus acto, gladium vagina recondidit. ac furorem sæuiantis exercitus regia auctoritate compescuit. atque inde, cum quietam omnem haberet Italiam, ad regnum rite ordinandum accessit. Quod vt diligentius, ac clementius etiam faceret, in primis præclaris Imperatoris Anastasij monitis est impulsus, senatum ei Romanum, atque Italiam totam per litteras assidue commendantis. Igitur Herulis, ceterisq; barbaris Odoacris sociis in Italia manere volentibus arbitrium benigne permisit, ac sedes, regesq; inter Subalpinos ad oppidum Augustæ concessit. agrum, quem Odoacer Herulis in omnibus Italiæ regionibus assignauerat, ipse Gotthis suis diuisit. Italis, qui constanter in fide manserant Odoacris, ita ignouit, vt aliquot etiam ad summos honorum gradus euexerit. sic enim post ad Senatum Rom. de Liberio scripsit: *Liberius sic Odoacris integerrimis parebat obsequiis, vt nostra post fuerit electione dignissimus, contra quos multa fecisse videbatur inimicus. non enim ad nos vilissima transfuga conditione migravit, nec proprij domini finxit odium, vt alterius sibi procuraret affe-*

ret affectum. expectavit integer diuina iudicia, nec passus est sibi regem, nisi priuatus perdidisset. Vnde sic factum est, ut ei libenter daremus premium, qui nostrum fideliter iuuit inimicum. Eos vero, qui turpi à se defectione semel adiuncti recesserant, iustissimo odio persequutus, testandi, ac legandi more Romano iure priuauit. Tributum porro ab Odoacre institutum conseruauit ex eo, quòd scripsit, se statuere, ut Graualiani, sicut Odoacris tempore tributum soluerant, ita & suo pensarent. & aliud nouum imposuit, quod Assem publicum appellauit. id quod afflictis etiam aliqua calamitate populis remittere pro summo beneficio consueuit. Lites porro in singulis prouinciis cognosci à Comitibus uoluit, inter Gotthos à Gotthis, inter Romanos à Romano, inter Gotthum, & Romanum ab utroque, quos ipse ea de causa cognitores, ac iudices in prouincias destinauit, iusque ipse omnibus seuerissime dixit. Iam uero nullum Romanum institutum mutauit. siquidem & senatum, & consules, Patricios, præfectos prætorio, præfectum urbis, quæstorem, Comitem sacrarum largitionum, Comitem priuatarum, & militiæ Comitem domesticorum, magistròs peditum, & equitum, ceteròsque, qui fuerant in Imperio, magistratus retinuit, eosque Romanis hominibus tantum mandauit, ac, licet Arrianus, mire sacerdotes, & templa Catholicorum excoluit. demum superiorum Imperatorum exemplo Rauennæ regni sedem firmauit, & quòd Imperatoris munere, ac consensu, atque ipsius quoque senatus uoluntate se dominari profiteretur, patrio uestituposito, purpuram, ac regia insignia sumpsit. atque omnino instituit regnum ueteris Imperij ex omni parte simillimum. Interim Laurentius episcopus urbem Mediolanensem, Epiphanius Ticinensem restituere maturauit, præstantissimo quoque uero ex dirutis Liguriæ oppidis eò accito. Gelasius pontifex sæpe à Ioanne episcopo Rauennate admonitus, quàm afflictus clericorum ordo ex superioribus belli, famisq; cladibus esset, decreta quædam ad illa reparanda officia fecit, eaque ad episcopos Campaniæ, & Siciliæ u Idus Martij misit. Eodem anno Benedictus Nursinus, qui post insigni floruit gloria sanctitatis, Sublaci à beato Romano abbate habitum monasticæ religionis accepit. Sequenti, Viatore, Æmiliòque consulibus, 495

Theodoricus pacatum Italiæ regnum cum prouinciis Dalmatia, Sicilia, & Rhætia

consequutus, ad stabiliendas opes suas uicinarum se regum præsiidiis muniendum, atque affinitatibus obuallandum putauit, haudquaquam ueritus, quin, si Odoacer idem consilij habuisset, haud dubie partam Italiæ possessionem retinuisset. Itaque Andefledam Clodouei regis Francorum sororem sibi despondit, filiam uero suam Teudetusam ex concubina susceptam Alarico regi Gotthorum, Amalabergam uero Amalafriidæ sororis filiam Sigismundo Gundobadi regis Burgundionum filio collocauit. Hærebant interim duo grauissima in uisceribus Italiæ mala; unum, quòd, maxima incolarum turba à Burgundionibus trans Alpes, regnante Odoacre, in seruitutem abducta, ipsa Liguria cultoribus prope uidebatur esse deserta: alterum, quòd, iustitio ob ius ciuile Romanum rebellibus à Theodorico ademptum prope Italia tota indicto, omnes in luctu, & squallore maximo uersabantur. utriusque autem uulneribus Theodoricus summa clementiæ laude opportunam adhibuit medicinam. ea uero res hac ratione confecta est. Rebus Liguriæ accisis, Laurentius episcopus Mediolanensis, & Epiphanius Ticinensis extremis precibus populorum impulsu legationem ad Theodoricum susceperunt, ac Rauennam progressi, & benigne ab omnibus excepti Liguriæ causam, Laurentio ita differente, egerunt. Quibus rerum successibus Deus, Inuictissime Rex, uirtutem tuam ad summum felicitatis culmen euekerit, si ordine percensere studuerim, dies me, ac uerba defecerint. Illud uero te in primis considerare uelim, nos apud te principem seruatorum tuorum causam orare in ea urbe, in qua modo solum inimicus tuus obtinuit. cauendum autem tibi esse, ne Christum tanti muneris auctorem spernere uidearis, si, quod ipse præstitit, non amaris. Meministi, credo, quibus te promissis obstrinxeris, cum mœnibus urbis Ticinensis inclusus hostili exercitu confertissimo premebaris, cum hostes armis, numeroq; præstantes subsistere, sola tecum diuina uirtute pugnante, non poterant, cum cælum rationibus tuis noua, ac singulari aut serenitatis, aut pluuia opportunitate seruebat, cum hostes mucronibus sodalium

suorum cadebant, cum tibi vincebat, qui pro hostium tuorum utilitate certabat. quibus Dei muneribus gratiam referre ea maxime ratione potueris, si pietatem erga homines adhibueris, & lacrymas supplicantium non respueris. cogita, quibus successeris, nempe iis, qui propter scelus expulsi casu suo opportunum posteris præbere cautionis documentam queunt. His rebus freta Liguria nobiscum ad pedes tuos prostrata te obtestatur, ac supplicat, vt tua beneficia sic innocentibus tribuas, vt nocentes quoque absoluas. exigua enim misericordiæ laus est, si ab illis tantum abstineatur, qui culpa carent, cum iniurias condonare cœleste, vindicare vero terrenum sit. Quibus dictis sic Theodoricus respondit: Quamuis te, Venerabilis antistes, pro magnitudine meritorum suspiciam, & multis belli tempore beneficiis à te affectus de referenda cogitare gratia debeam, tamen propter regni rationes misericordiæ, quam suades, aditum patefacere nequeo. etenim pœnam meruit lenitas, quam noluit inferre seueritas; vimq; diuini iudicij spernit, qui, cum hoste potitur, indulget. vitiaq; posteris prodit, qui præsentibus culpis ignoscit: nunquam ægrû plenissime sanauit medicus, nisi postquam putrida ferro membra desecuit. qui impunitatem nocentibus tribuit, insontes ad peccandû accendit. Quare precibus quidem vestris, quibus diuina consentiunt, obsequutus, omnibus peccatum in vniuersum dimitto, paucos tamen, quos malorum comperi fuisse artifices, locorum suorum habitatione priuabo, ne forte exurgens necessitas domesticos nanciscatur insidiatores. Atq; his dictis, Urbico Palatij curatori vocato præcepit, vt generalis indulgentiæ tabulas promulgaret. quod ille tanta dexteritate obiuit, vt culpas illas etiam aboleret, quas sibi dominus reseruasset. His actis, inde secreto Epiphanium accersit, atque ita alloqui cœpit: Iudicij de te mei magnitudinem ex hoc cognosce, quòd, cum tot in regno meo pontifices sint, te tamen potissimum ad maximû tractandum negotium cum Gundobado rege Burgundionum elegerim. nam eos à me mitti oportet, quos ille summo animi studio audiat. Vides vniuersa Italiæ loca indigenis exhausta cultoribus, in primisq; ipsam, quæ frequentissima solebat esse, Liguriam noua solitudine deformatam, & cum agricolis, tum arboribus, vitibusq; nudatam. hæc quamuis Burgundio immitis effecit, nos tamen, nisi emēdemus, admisimus. Suscipe ergo, Deo bene iuuante, huius laboris onus, vt commune in cœlesti repromissione præmium cōsequamur. Gundobadus summo te visendi desiderio flagrat. mihi crede, magna merces redemptæ Italiæ tuus erit aspectus. polliceor tibi rediuuium statum Liguriæ, reducemq; fœcunditatem, si, auro pro redemptione captiuorum accepto, hoc ipse munus exegeris. Quibus verbis auditis, Epiphanius, se libenter morem eius voluntati gesturum, respondit. ac Victore episcopo Taurinati sibi socio destinato, pecuniaq; accepta, Martio mense Ticinum repetiit, ac statim iter instituit. In Galliam inde transgressus, vulgo ab omnis ætatis, & sexus hominibus videndi eius cupidus celebratus est. quidquid habuit quisq; preciosum, obtulit, sin minus, aliunde coemit. vulgo dona congesta, quibus ille pauperes aluit. Lugdunum aduentanti Rusticius episcopus obuiam cis Rhodanum prodiit. vbi vero ad urbem accessit, Gundobadus rex ingenti antistidis fama permotus, suis dixit: Ite ad hominem, Laurentio martyri & vultu, & virtute persimilem, & num nos affari velit, exquirite. & si annuerit, adducite. Constituto inde die, regem cōuenit mira sui alloquendi cupiditate ardentem. atq; ita verba fecit. Summus amor vestri me Rex impulit, vt alienissimo anni tempore horrentes adhuc niue Alpes transmitterem. inter optimos reges testimonium in cœlo dicturus adhibeor, si, quam ille misericordiam postulat, tu benignus impertias. certate officiis inter vos, atq; inuicem præceptis diuinis exhauriendis superare contendite. in qua concertatione sic præmium victor accipiet, vt suum qui victus sit, non amittat. parete consilio meo, & ambo superiores, ambo pares eritis. Italicos redimere vult ille, captiuos, tu sine precio illos restitue. nemo maiorem mercedem accipiet, quàm qui nullam. diuites milites tuos faciet repudiata pecunia, recepta vero mendicos. audi Italorum fidem tuam implorantium voces. audi Italiam nunquam à te diuisam, & plurimum præsidij in tua clementia reponentem. quæ, si vna voce loqueretur, hæc diceret: Quoties pro me, si reminisceris, ferratum pectus hostib. obtulisti? quoties

quoties consilio prouidisti, ne bella subreperent, ne aliquis tecum captiuus duceretur? quos nunc detines, tu nutristi. dolosum mihi virtus tua beneficium præstitit, si qui ab extraneis defendit, custos inuasit. cum matronæ, aut virgines tractæ, aut stupratæ sunt, illo vno solatio doloris sui contumeliam lenierunt, quod te suarum vindicem iniuriarum sperarunt. viri capti sunt, qui fugam arripere noluerunt. agricolæ Burgundiones, à quibus vinciebantur, agnoscentes manus suas implicari vinculis querebantur, quæ tibi tributum contulissent. ac palam illa, te insciente, fieri testabantur. itaque multis æquitas tuæ fiducia perniciem attulit, dum inclementius responderunt. Redde ergo residuos patriæ, redde penatibus suis, redde

10 gloriæ tuæ. remitte ad alienam ditionem, qui se & ibi positi tuos esse confiteantur. parum enim gratiæ imperio illius tribuimus, cuius misericordiæ nihil debemus. purga Liguriam fontibus, & reple cultoribus. quæ quantum tibi debeat, tum demum intelliget, cum faciem suam pristinam recognoscet. consuesti supplices subleuare, contumaces autem obterere. atque ex utroque instituto clarissimos per fortitudinem, & temperantiam triumphos adeptus es. neque vero hoc beneficii hominibus alienis indulges. iam enim tibi rex Italiæ affinitatis vinculo copulatur. sit filij tui sponsalitia larga liberatio captiuorum. is sponsæ suæ munus benignius offerat, quod & Christus ipse accipiat. His dictis, ambo surrexerunt, & lacrymabundi ad pectus regium accesserunt, & cum omnibus astantibus capita submiserunt.

20 Tunc rex sic respondit: Belli iura pacis suasor ignoras, & conditiones gladio pactas concordiæ auctor euertis. lex est bellantium, quem putas errorem. præliis modestiam nemo imponit. rettuli regi iniuriam specie fœderis ab illo delusus. atque id egi, ut apertos inimicos agnoscerem. quoniam vero largitur Deus, ut fœdus inter nos in perpetuum sanciat, inuenient partes illæ constantem in amore, quem perniciosum senserunt in simultate. vos interim sancti viri domos vestras læti discedite, dum ego, animæ meæ, & regni rationibus ad disquisitionem adductis, quæ me conueniant præstare, pronunciem. His auditis, episcopi eum reliquerunt. Ille vero vocato Laconio, cui summam negotiorum omnium committebat, Quoniam

30 Epiphanium, inquit, libenter audiui, & precibus permoti illius sumus, ob id mandamus tibi, ut tabulas scribas, quibus captiuis Italis omnibus gratis libertatem restituas, quos vbiunque nostra arma, famis necessitas, & periculorum timor in seruitutem abstraxit, itemque quos consensus principis sui aut permisit, aut addixit. nam pro paucis, qui in ipso prælij ardore sunt capti, precium reddi militibus volo, ne posthac ancipites certaminum casus horrescant, & quorum causa pericula susceperunt, lucra non sentiant. Paruit ille mandato, & scriptas liberationis tabulas ad antistitem detulit. quas ille summa expectatione recepit. Ceterum tanta redemptorum hominum multitudo confluit, ut passim rura Galliæ deserti viderentur. Ex sola Lugdunensi ciuitate quadringenti vno die dimissi sunt. item ex aliis ciuitatibus Sabaudia, aliarumque regionum ad eum numerum, ut sex millia confecerint.

40 Eorum vero, qui auro redempti sunt, numerus iniri non potuit, quia multos fuga abstulerat. pecuniarum autem ad omnes redimendos non suppetentium summam Syagria mulier sanctissima, itemque Auitus episcopus Viennensis expleuit. Epiphanius inde Geneuam profecto, Godigifilus fratrem Gundobadum imitatus, eos item, qui penes se erant, dimisit. quare breui tanta liberatorum hominum turba coiuit, ut itinera effusis agminibus complerentur. cum quibus Epiphanius tertio mense ita se cepit recipere, ut honesti speciem triumphi præberet, lacrymis omnibus præ gaudio receptæ libertatis effuse manantibus. ut vero Tarantasiam venit, mulierem oblatam, quæ immundo spiritu vexabatur, in nomine Christi sanauit. In Italiam demum reuersus, vbi captiuorum quorundam, & præsertim generis splendore præstantium summas angustias, ac nimiam paupertatem animaduertit, ad Theodoricum progressus alimenta eorum inopiæ petiit, ac facile impetrauit. Hæc ad Epiphanium pertinentia Enodius memoriæ prodidit, qui huius legationis socius fuit. Interim Romæ Gelasius pontifex Misenum episcopum delictum suum iamdiu confitentem, ac veniam suppliciter deposcentem tandem recepit in gratiam, atque ecclesiæ restituit suæ. Anastasius autem Imperator, qui cum

Eutychete duas in Christo naturas confusas credebat, cum adhuc odium aduersus Catholicos à se dissentientes occuluisset, abhinc expromere aperte cœpit. siquidem, extortis ab Euphemio vrbis episcopo tabulis, quibus se hostem Catholicis fore, iureiurando negarat, ipsum cum Chalcedonenſi Concilio duas distinctas in Christo naturas asserentem falsi criminis accusauit, atque iniquo iudicio condemnatum in exilium misit. & à Macedonio, qui in eius locum fuerat substitutus, inde se propter eandem causam capitali quoque diffidio separauit. Ceterum, rebus Catholicorum in Oriente labentibus, præter spem omnium Africæ, & Galliæ pristina restitui religio cœpta. Gundamundus quippe rex Africæ rogatu Eugenij Carthaginienſis episcopi post decem annos episcopos Catholicos reuocauit, 10 atque ædes clausas aperuit. In Gallia Franci à gentilitate ad Catholicos transferunt. ea vero res sic acta est. Clodoueus rex arma Alemanis trans Rhenum habitantibus inferens cum lectissimo Francorum robore aduersus eos ire contendit. qua re prærepta, Alemanni egregie instructi & ipsi circa ripas Rheni se obiecerunt. Ita, commisso ad Tolbiacum oppidum prælio, acriter à Francis, Alemanisque pugnatum est; ab illis, ne auitæ belli gloriæ, ab his, ne patriæ libertatis possessionem amitterent. Cum autem, flagrante certamine, ac multis vtrinque cadentibus, Clodoueus suam inclinare aciem cerneret, neque eius sustinendæ humanam vllam rationem iniret, tum, oculis in cœlum sublatis, lacrymabundus, Christe potens bellorum, inquit, polliceor, me sacra tua, quæ adhuc respui, cum meo populo susce- 20 pturum, ac tibi ex animo seruiturum, si tuo beneficio victoriam de hostibus Alemanis rettulero. qua oratione completa, repente Alemanni infesto quodam quasi fulmine tacti Francis terga dare cœperunt, & victoriam, quam iam prope habebat in manibus, tradiderunt. mox, cum regem suum in acie cecidisse animaduernerent, pacem ab illo quoque supplices petierunt. Sigebertus Colonix regulus, genere Francus, cum adesset, vulnus in pede accepit, ex quo postea claudicauit. Hoc nuncio accepto, Theodoricus rex Italiæ re bene gesta Clodoueo his litteris gratulatus est, simul monens, vt victoriam temperaret. *Gratulamur, inquit, quod gentem Francorum prisca atate residem feliciter in noua prælia concitasti, & Alemanicos populos victri-* 30 *ci dextera subdidisti. sed quoniam semper in auctoribus perfidiæ reſecabilis videtur excessus, motus vestros in fessas reliquias temperate. quia iure gratiæ merentur euadere, quos ad parentum vestrorum defensionem respicitis confugisse. Memorabilis triumphus est, Alemanum acerrimum sic expauisse, vt tibi eum cogas de vita munere supplicare. sufficiat, illum regem cum gentis sue superbia concidisse, sufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim seruitute subiugatam. Illa mihi bella feliciter euenerunt, qua moderato fine peracta sunt.* ad extremum addit: *Quadam, quæ ad nos pro vestris utilitatibus peruenerunt, per harum portitores verbo vobis insinuanda commisimus, vt cautiore effecti optata possitis victoria constanter expleri. Vestra siquidem salus nostra gloria est. & toties regnum Italia proficere iudicamus, quoties de vobis leta cognoscimus. Cytharæ dum etiam arte sua doctum pariter destinauimus & expetitum, qui ore, manibusque consona voce cantando gloriam vestra potesta-* 40 *tis oblectet.* Hic autem cytharædus iudicio Boetij præstantis hac ætate philosophi fuerat approbatus. Ita Clodoueus victoriæ modo imposito, ouans reuertit domum. ibi vero, quoniam ab vxore Crothilde sæpius ad religionem Christianam asciscendam rogatus eius voluntati semper abnuerat, rem, vt erat acta, exposuit, ac nouis eius precibus expugnatus sancti omnino baptismi accipiendi consilium expediuit. idemque, vt populus suus eadem secum voti religione obstrictus face- 496 ret, auctor fuit. quare proximo anno, cum Paulus consul esset, Tullum profectus Sanctum Vedastum, qui post Attrebatensem Ecclesiam rexit, conuenit, vt salutaribus Fidei ab illo documentis imbueretur, ac mox, illo comite, Rhemos ad Sanctum Remigium archiepiscopum petiit, & sacro postulato lauacro, apud eum 50 per aliquot dierum spacium mansit, vt rite prius pœnitentiæ lacrymis lauaretur, quàm aqua salutiferi fontis ablueretur. Inde die à sancto antistite constituta cum vniuersa Francorum natione ad Ecclesiam adiit; cum honoris causa forum velis opertum, templum aulais instructum, & baptisterium odoribus suauissimis esset perfusum. ac magna, & vere regia pompa ipse vnà cum optimatibus, & po-

& popularibus suis manu summi sacerdotis est tinctus. ea fuisse tria hominum milia, Gregorius Turonensis scriptum reliquit. quin etiam sorores eius Albofredis gentilitate, & Lanthildis Arrianismo abiecto, ablutæ sunt. Ab eo die gens Francorum Christi Fidem, nomenq; tanto ardore, tantaq; constantia coluit, vt vsque ad nostram ætatem omnes hæreseos labes respuerit, & firma in Ecclesiæ Catholicæ disciplina, ac Romani pontificis auctoritate permāserit. vnde rex eius merito postea Christianissimi cognomen accepit. Gelasio inde pontifice mortuo, Anastasius secundus v Kal. Decembris est subrogatus. is, quoniam nihil tum erat, quod pontificis Romani curam vehementius exerceret, quàm detestatio Acacij, Petri, ac sociorum eius, vt primum iniit, cum ad Anastasium Augustum iterum consulem de noua dignitate sua nuncios Cresconium, & Germanum episcopos mitteret, nihil antiquius habuit, quàm vt & ipse, quod decessores sui Felix, & Gelasius petere cœperant, impense contenderet; nempe vt nomen Acacij, sociorumq; eius, quos iam sæpius Ecclesia condemnasset, ex omnibus Ecclesiarum Orientalium Diptychis eximendum curaret. Liguria ad ceteras calamitates tributorum quoque magnitudine onerata non solum auxilij, sed etiam consilij inops ad Epiphanium episcopum Ticinensem confugit, atque opem eius apud principem implorauit. cuius iustis precibus victus Epiphanius rursus sine cunctatione Rauennam ad Theodoricum accessit, ac grauib; ærumnis populorum expositis, cum immunitatem in eum annum poposcisset, duas partes indictionis elicuit. Repetens inde domum, Parmæ leui tentari ægritudine cœpit. vnde Ticinum reuersus ex hac vita cum ingenti gloria sanctitatis, mœrētibus vniuersis, excessit. locum tenuit Maximus, cui postea successit Enodius diaconus, qui vitam eius memoriæ consecrauit. In Africa Gundamundo rege mortuo, frater eius Transamundus ocepit regnum. hic, vt scripsit Procopius, Catholicorum supplicij pepercit ille quidem, sed eosdem tamen præmiis, atque honoribus ad deserendam fidem illexit. ab alijs scriptum est, centum ab eo episcopos in Sardiniam relegatos. Paulino inde, & Ioanne consulis, Theodoricus rex præclarum item facinus, ac memorabile summæ æquitatis documentum erga Catholicos edidit. nam, cum ministrum præcipue sibi carum, ac Catholicæ Fidei studiosum haberet, eumq; in sui gratiam ad Arrianos defecisse videret, vsque adeo iram non tenuit, vt manu sua illum confoderit, inquiens, eum sibi fidem præstare non posse, qui Christo fefellisset. Idem eodem tempore in suspicionem alienæ voluntatis apud Imperatorem Anastasium incidit, ita vt pax inter vtrumque Imperium instituta aliquantulum titubare incœperit. quod simulatque ipse animaduertit, propere oratores ad eum de refarcienda concordia destinauit, cum his litteris: *Hortamini me frequenter, vt diligam senatum, leges principum gratanter amplectar, & cuncta Italia membra componam. quo modo potestis ab Augusta pace diuidere, quem non optatis à vestris moribus discrepare? additur etiam verecunda Romana vrbis affectio, à qua segregari nequeunt, qui se nominis vnitatem iunxerunt. Proinde illum, & illum legationis officio ad serenissimam pietatem vestram destinauimus, vt synceritas pacis, qua causis emergentibus cognoscitur esse vitata, desertis contentionibus, in sua deinceps firmitate restituta permaneat. quia pati vos non credimus, inter vtrasq; respublicas, quarum vnum semper corpus sub antiquis principibus fuit, aliquid discordiæ residere. quas non solum oportet inter se otiosa dilectione coniungi, verum etiam decet mutuis viribus adiuuari.* Ceterum ex legatis vnus Festus senator, & ex consul fuit. cuius missi Theodorus in Collectaneis meminit. Ille vero, postquam mandata, quorum causâ missus erat, exhaustis, proprio nomine Anastasium obsecrauit, vt Constantinopoli sanctam apostolorum Petri, ac Pauli memoriam eadem, qua Romæ, veneratione, ac magnificentia celebrandam ediceret. idq; obtinuit. contrà vero, cum Anastasius Macedonium vrbis episcopum synodicam ad Anastasium pontificem dare de Chalcedonensi Concilio approbando prohibuisset, idem rei componendæ causâ secreto illi promissit, se daturum operam, vt Anastasius pontifex Zenonis Henotico assentiret, eiq; manu sua subscriberet. quæ res dissidium ingens mox Romana in Ecclesia peperit. nam domum reuersus in ipsam Anastasij pontificis mortem incurrit, quæ xiiii Kalend. Decembris euenit. itaque, cum extinctum videret eum, à quo se

sperabat impetraturum, quod Augusto sponderat, omne studium suum ad suc-
 cessorem creandum conuertit, quem promissis suis explendis idoneum iudicauit.
 & cleri, populique partem ad sua fouenda studia pecunia distributa traduxit. Ea de
 causa comitiis habitis diuisa est ciuitas, ac x Kal. Decembris alij in basilica Con-
 stantiniana, alij in S. Mariæ basilica coierunt. atque integrior quidem pars, ac ma-
 ior Symmachum, corruptior vero, ac minor Laurentium presbyteros ad pontifi-
 catum euexit. Contentione vero inter partes exorta, dissidióque in Ecclesiam in-
 troduçto, placuit, vt ex lege Odoacris regis comitiorum iudicium ad Theodori-
 cum regem reiiceretur. ita singularú partium patroni, suscepta legatione, Rauennam
 profecti, Theodoricum super hac re vniuersa consuluerunt. qua cognita, ille 10
 pronúciauit, Symmachum, vt qui plurium suffragio declaratus, & priore loco con-
 secratus fuisset, in sede apostolica residere. itaque, exempta controuersia, Sym-
 machus in possessione Ecclesiæ collocatus Laurentium abdicauit, & ne priuatus
 degeret, ecclesiæ Nucerinæ præfecit, atque inde, Ioanne, Asclepioq; consulibus,
 499 Kal. Martiis finitimos episcopos in basilicam Vaticanam acciuit, atque ita ad eos
 disseruit: *Ego vos, neglecta hiemis asperitate, ad Concilium aduocaui, vt episcopalem ambi-
 tum, ac popularem tumultum, quem per surreptionem diaboli vsurpatione aliquorum memo-
 ria mea constat esse subortum, in futurum communicatis consiliis amputemus, ac quid de ordi-
 natione Romani pontificis post hac obseruandum sit, statuamus.* Quam vocem cum omnes
 assensu maximo excepissent, inde ita sanxit: *Si quis igitur presbyter, aut diaconus, aut 20*
*clericus, papa incolumi, & eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano pontificatu commo-
 dare, aut pittacia promittere, aut sacramentum præbere tentauerit, aut aliquod certe suffra-
 gium polliceri, vel hac de causa, priuatis conuenticulis factis, deliberare, atque decernere, loci
 sui dignitate, atque communionem priuetur. Item, si, quod absit, transitus papa inopinatus eue-
 nerit, vt de sui electione successoris, vt supra placuit, non possit antè decernere, siquidem in
 vnum inclinauerit totius Ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus episcopus. Si autem,
 vt fieri solet, studia ceperint esse diuersa eorum, de quibus certamen emergerit, vincat senten-
 tia plurimorum, sic tamen, vt sacerdotio careat, qui captus promissione non recto iudicio de
 electione decreuerit.* Item omnes sibi placere succlamauerunt. Huic conuentui ex
 episcopis Æmiliæ, Liguriæ, & Venetiæ nemo affuit. Regnabant adhuc inter Bur- 30
 gundiones duo Gundeci regis filij Gundobadus, & Godigisilus animis praua in-
 ter se discordia exulceratis. Godigisilus autem, vt fratrem Gundobadum euerte-
 ret, clam legatos ad Clodoueam misit, spondens, se illi tributum annum solutu-
 rum, si se in opprimendo fratre iuuisset. quod Clodoueus pro viribus facturum
 ostendit, ac statim contra Gundobadum exercitum destinauit. qua re cognita,
 Gundobadus pactarum insidiarum prorsus ignarus misit ad Godigisilum, obse-
 cratum, vt sibi aduersus Clodoueam in se hostiliter irruentem adesset, & secum com-
 mune regnum à communis hostis impetu tutaretur, atque ab illo responsum spe-
 cie benignum accepit. Cum autem tres exercitus ad Diuionem oppidum conue-
 nissent, Godigisilus, Clodoueo sibi adiuncto, Gundobadum super Oscanam a- 40
 mnem inuasit, atque in fugam conuersum trepido agmine sese recipere Auennio-
 nem coegit, & regni parte Clodoueo concessa, Viennam processit. Clodoueus
 autem Gundobadi tergo insilens exercitum Auennionem promouit, atq; urbem
 corona circumdedit. His de rebus Gundobadus in magnam consiliorum difficul-
 tatem adductus, Aredium ex fidis amicis misit ad Clodoueam, qui vtile se ei di-
 xit daturum consilium, vt agri vastationem, & urbis oppugnationem, quæ ma-
 gnam esset habitura difficultatem, omitteret, ac Gundobadum tributo annuo
 sibi obnoxium faceret. quod cum ille probasset, Gundobado obligato, discessit.
 ita Gundobadus regnum suum recuperauit. Hæc Gregorius. Procopius autem
 scribit, Clodoueam contra Burgundiones vltro contendisse, atque Theodoricum 50
 regem auxilio aduocasse, eisque deuictis partem cum eo regionem ex pacto dis-
 500 tribuisse. Annus inde à Christo nato quingentesimus, Patricio, Hypatioque am-
 bobus in Oriente consulibus, vt nouo, sic optato Theodorici regis Romam ad-
 uentu fuit nobilitatus. Semper eiusmodi quidem res magna Italiæ prosequen-
 tis frequentia, ac maiore populi Romani occurrentis lætitia solita est celebrari.

tum vero cuncti se ipsos in eiusmodi functione muneris superarunt. quippe quos non officij modo cura, sed etiam studium summi, atque omnibus iucundi regis inspectandi acueret. Itaque Theodoricus cum magno, atque illustri comitatu, tota ferme citeriore comitante Italia, Romam progressus, felicem illam veterum pomparum, ac triumphorum speciem, atque amplitudinem oculis omnium visus est retulisse. neque enim magnifico eius ingressu Roma quidquam per multos annos vidit splendidius. Totius gratulantis, ac plaudentis ciuitatis occursum, incredibileque omnium alacritate, & splendido rerum omnium apparatu exceprus est, corpus regiae indolis armis in primis insignibus honestantibus. In curiam inde cum venisset,

10 Boëtius philosophus, & orator illa ætate clarissimus ipsum ornatissima oratione laudauit. cui ille respondens, senatum mira comitate appellauit, ac se dignitati, & commodis eius nunquam defuturum ostendit. Inde in circum progressus, ad locum, qui Palma aurea dicebatur, admirabili benignitate concionem habuit ad populum cum senatoribus in gradibus confidentem. Paulo antè forte in urbem ex Africa venerat S. Fulgentius monachus, noua Transamundi aduersus episcopos saguitia exanimatus. Hic, postquam sacra martyrum loca venerabundus inuisit, omnesque seruos Dei, quorum adipisci notitiam potuit, humili obsequio salutauit, ad eum locum, in quo Theodoricus populum alloquebatur, accessit. ibi cum Romani senatus amplitudinem, decus, ordinemque distinctis gradibus aspectaret, & fauores liberi populi castis auribus exaudiret, qualis esset gloriosa huius seculi pompa, cognouit. neque tamen aut immodica spectaculi eius voluptate captus, aut inani seculi delectatione lenitus, verum inde potius ad illam supernam Hierusalem expe-

20 tendam incensus est. itaque in hunc modum eos, qui sibi proximi stabant, est alloquutus: Quàm speciosa debet esse Hierusalem illa cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? & si in hoc seculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor, & gloria tribuetur Sanctis contemplantibus veritatem? Inde Romam profectus per Sardiniam ad monasterium suum in Africam reuersus, haud ita multo post episcopus Ruspensis ecclesiae factus omni laude sanctitatis emicuit. Interim Theodoricus ex circo profectus senatoribus triumphale epulum dedit, ac plebi

30 Romanæ frumentum donauit. urbem inde per insequentes dies perambulans, atque oculis omnia antiqua opera, quibus adhuc urbs ad stuporem aspectantium enitebat, iustitiam, confessusque est, *Traiani forum vel sub assiduitate videre, miraculum esse, Capitolia celsa conscendere, nihil aliud esse, quàm humana ingenia superata vidisse.* In Formis autem Romanis duo notauit, fabricam mirabilem, & aquarum salubritatem. nonnulla vero ædificia, in primisque ipsa urbis mœnia diruta cernens, ingentem ad ea reficienda summam pecuniæ contulit. ex quo fiebat, ut ad præteritæ fortunæ fastigium nihil desiderari posse, exempta urbis direpta, atque incensæ infamia, videretur. neque vero id Romæ solum, sed etiam in tota fieri Italia statuit. Itaque munitissimæ posthac arces in finibus Italiæ, & magnificæ regiae in celebrioribus urbibus iussu eius sunt

40 excitatæ. quibus operibus ipse antiqua illa, ut dixit Cassiodorus, miracula superauit. hinc ad vniuersos Gothos, ac Romanos scripsit: *Præcipimus vobis, ut si quis cuiuslibet generis saxa, in agris suis iacentia, muris habuerit profutura, libens animo sine aliqua dilatione concedat. qua tunc verius possidebit, cum hac ciuitatis suæ utilitati indulerit.* & ad Suram Comitum: *Sine vsu iacere non debet, quod potest ad decorem crescere ciuitatis. quia non est sapientia futura contemnere. Et ideo illustris magnificentia tua marmorum quadratos, qui passim diruti negliguntur, quibus hoc opus videtur iniunctum, in fabricam murorum faciat deportari, ut redeat in decorem publicum publica constructio, & ornent aliquid saxa iacentia post ruinas, ita tamen ut metalla ipsa de locis publice corruisse, apud te manifestatione doceatur. quia sicut nolumus ornatum urbis cuiusquam presumptione temeraria violari, ita pri-*

50 *uatis compendiis calumniam detestamur inferri.* Quanquam autem Romam adeo magnificè, ut diceret, piaculum committere, qui Roma diutius abesset, cum eam, collocatis laribus, incolere posset, tamen, rebus his constitutis, Rauennam se recepit. Eo vrbe profecto, statim seditio Laurentiana recrudit. nam Festus, qui præsentè Theodorico quieuerat, de integro mouere, atque insanire instituit, ac Probindo ex consule socio ascito, Auieno, & Pompeio consulibus, Symmachum falsis

illatis criminibus accusauit, eo consilio, vt postquam damnasset, tanquã indignum, pontificatu deiiceret, & Laurentium, quem Nuceria euocarat, ei sufficeret. ac testes falsos instruxit, eosq; ad Theodoricum Rauennam interrogandos misit. Itaq; priore redintegrata seditione, alij cum Symmacho, alij cum Laurentio versabantur, Festo, & Probino certamina cum aliis senatoribus, in primisq; cum ex consule Fausto miscentibus, qui Symmacho enixe fauebat. ex quo fœdus admodum ipsius vrbis erat aspectus. nam, Symmacho possessione pontificatus, & prædiorum pontificiorum exacto, cædes passim in vrbe fiebant, & sanctimoniales sedibus suis eiiciebantur, spoliabantur, ac misere cædebantur. & clericis interdum, noctuq; insidiæ tendebantur, vt per urbem incedere tuto non possent. multi etiam sacerdotes neci dati. ex quibus Gordianus, vir insignis, ad Vincula S. Petri occisus est. Theodoricus autem, vt his malis occurreret, potestate abusus, visitatorem ecclesiæ Romanæ Petrum Altinatem episcopum dedit, & cum per eum præsentem sedare tumultum non potuisset, mox ex omnibus prouinciis episcopos Romam conuenire ad rem cognoscendam præcepit. quorum vtrumque contra leges, atque omnia vetustatis exempla est factum. Itaque, cum Liguriæ, Æmiliæ, & Venetiæ episcopi Laurentius Mediolanensis, Petrus Rauennas, Maximus Ticinensis, Æmilianus Vercellensis, Bassianus Mutinensis, Eustasius Cremonensis, Laurétius Bergomas, Tigredius Taurinas, Seruus Dei Veronensis, intento Romam itinere, Rauennam adissent, de Theodorico quæsiuerunt, cur se homines ferme ætate, viribusq; confectos Romam contendere vellet? quibus ille respondit, multa ad se nefanda de Symmacho esse delata, quæ censeret illorum esset prudentia iudicanda. cui sacerdotes responderunt, oportuisse ipsum, qui in simularetur, conuentum aduocare, quòd ei sedi eximia Petri apostoli merita, & sancta superiorum Conciliorum auctoritas principatum dedisset. neque vnquam is episcopus minorum episcoporum iudicio subiectus fuisset. Tum rex, Atqui, inquit, huic quoque Concilio Symmachus ipse assensit; litterasq; eius in testimonium protulit. Quibus rebus auditis, Romam episcopi decesserunt, ac x Kalend. Nouembris in basilica Iulij coierunt. Tum Symmachus priuatus accedens, primum maximas regi, quòd eos euocasset, gratias egit, ac rem ex voluntate sua confectam asseruit. deinde auctoritatem sacri ordinis corrigendi se eis dare adiunxit, sperans, fore, vt, (quod ipse postulabat) visitator, qui contra omnia instituta Ecclesiæ fuerat introductus, ex episcoporum sententia abrogaretur; & quæ ipse per insidias inimicorum amiserat, à conuentu recuperaret, & sedem suam rite reciperet, atque inde ad extremum accusatorum criminibus responderet. quam postulationem iustam esse episcopi iudicantes ad regem rettulerunt. sed legatorum, qui missi sunt, culpa æqui nihil obtinuerunt. iussit rex, vt Symmachus, antequam patrimonium, & ecclesiam suam reciperet, cum accusatoribus iudicio decertaret. quod ille se facturum non recusauit. quanquam leges sibi darent, vt sola se conscientia suæ contestatione purgaret. Itaque, cum alio die conuentus esset in basilica Hierusalem Palatij Sessoriani, accusatores crimina edere iussi sunt. in quo duo sunt animaduersa maxime veritati contraria; vnum, quòd dicebantur ea crimina Theodorico esse perspecta, quæ tamen ille, vt obscura, cognosci ab episcopis voluisset; alterum, quòd se seruorum testimoniis eum posse conuincere contendebant, atque, vt ille seruos in quaestionem daret, poscebant. quod sacris legibus omnino refragabatur. Interea Symmachus ad causam dicendam occurrit, verum in via ab inimicis appetitus ita est, vt vix manus eorum euaserit; presbyteri vero multi, qui in comitatu eius erant, vulnerati sunt, ac sine dubio necati fuissent, nisi vir illustris, Comes Aligernus, & sublimes viri Gudila, & Gideulfus magistri regiæ domus interuenissent. His cognitis episcopi perturbati litteras ad Theodoricum miserunt, nunciantes, Symmachum, ne ad causam dicendam accederet, nefariis aduersariorum insidiis esse prohibitum; eundem regiæ voluntati obsequi paratum esse, verum per sacras leges ad causam dicendam compelli non posse. Quibus respondit Theodoricus, Viderent episcopi, ac præscriberent, quid sibi consilij in tanto negotio capiendum esset. neq; enim aliquid ad se de causis Ecclesiasticis præter reuerentiam pertinere. ipsi vero

vero seu causam audire, seu secus, vellent, ex fide sua statueret, dummodo pacem
 vrbi, atq; omnibus Christianis prestarent. qua potestate accepta, episcopi conuocati,
 re cognita, decreuerunt, vt Symmachus ab omnibus, quorum arguebatur, crimi-
 nibus liber, ac vacuus esset, quod ad hominum iudicium pertineret. atque vt idem
 Christianæ plebi in omnibus ecclesiis ad ius sedis suæ pertinentibus diuina myste-
 ria traderet, & vt quidquid intra, aut extra iuris esset, reciperet. Huic sententiæ
 archiepiscopi Laurentius Mediolanensis, Petrus Rauennas, & post eos septuagin-
 ta episcopi, subscripserunt. Hæc ex Actis Concilij. Apud Anastasium præterea, &
 Nicephorum scriptum est, Petrum, & Laurentium, vt qui temere sedem apostoli-
 cam inuasissent, cõdemnatos fuisse. Ita Symmachus locum suum magna omnium 502
 gratulatione recepit. Auieno inde iuniore, Proboq; consulibus, Theodoricus stu-
 diis pacis, & cultui Italiæ deditus aquam Rauennam perduxit, & Formam eius suis
 sumptibus instaurauit, quæ multis antè annis fuerat deturbata. Symmachus autem
 ecclesiam Romanam in antiquam libertatem restituere cupiens, rursus episcopos
 VIII Idus Nouembr. Vaticana in basilica conuocauit. atq; ad eos de lege regis Odo-
 cris abroganda rettulit, qua, inconsulto rege, comitia perfici pontificia utebatur.
 Dictis sententiis, ex omnium auctoritate eiusmodi sublata constitutio est, vt quæ a-
 perte libertati Ecclesiasticæ repugnaret, & clero nouam seruitutis conditionem
 imponeret, vt regiam in legendo pontifice voluntatẽ respiceret. Non ignorandum
 tamen est, hanc Symmachi sanctionẽ obseruatã non esse. ac per multos post annos
 iniussu principis pro ratis ea comitia non fuisse; donec, quieta tandem, ac tuta à se-
 ditionibus ciuitate, hoc ius ab Imperatore Constantino ultro remissum est, Bene-
 dicto secundo Ecclesiam obtinente. Eodem in Concilio est cautum, ne prædia ru-
 stica ecclesiarum in perpetuum alienari liceret. iidem, qui suprã, episcopi subscri-
 psere. Per eosdem dies memorabile illud in Græcia contigit, quòd Bulgari, gens, vt
 dixi, noua ex Mœsia in Illyricum, & Thraciam transiit, atq; Anastasio Imperatori
 novos hostes horrenti non mediocrem perturbationem animi attulit. Dexerato 503
 inde, & Volusiano consulibus, iidem ex Thracia in Pannoniam penetrarunt, atq;
 hostili tumultu omnia loca occurrentia repleuerunt, & præcipue Sirmiũ oppidum
 occuparunt. qua re cognita, Theodoricus rex, siue vt gratiam ab Anastasio bellum
 cum Cabade Persarum rege administrante iniret, siue vt tantum hostem longe à
 domo repelleret, siue vt Pannoniam, suam quondam patriam, conseruaret, arma
 aduersus eos parauit, & Perzam Comitem eo cum idoneo copiarum numero de-
 stinauit. Interim bellum ciuile in Gallia à Burgundionibus renouatum est. Gundobadus
 rex, viribus ex superiore clade collectis, promissa Clodoueo tributa persol-
 uere abnuens, exercitum aduersus fratrem Godigisilum duxit, eumq; Viennæ in-
 clusum obsedit. Godigisilus, vbi interclusus in urbem commeatibus famem immi-
 nere ingentem vidit, inopes, atq; egenos omnes emisit. quo facto, simul etiam archi-
 tectus quidam, cui aquæ ductus cura mandata erat, egressus est. qui iratus, quòd vr-
 be expulsus esset, ad Gundobadũ se contulit, rationemq; qua irrumperet in urbem
 posset, ostendit. atq; acceptis idoneis militibus, per spiraculum aquæ ductus ingres-
 sus, lapidem magnum, quo ille obsepiebatur, ferreis vectibus minuit, atq; ita, aditũ
 patefacto, in urbem milites introduxit. qui, defensoribus ex mœnibus deturbatis,
 signo dato, obsessores in urbem vocarunt, atq; ita & populum interceptum strau-
 runt, & Godigisilum incolumitatis causa ad ecclesiam Arrianam profectũ ibi cum
 episcopo confecerunt. Gundobadus Francos auxiliares in vnã turrim congrega-
 tos seruauit, ac Tolosam ad regem Alaricum in exiliũ misit; Burgundiones autem,
 qui Godigisilo studuerant, neci dedit, ac totum Burgundiæ regnum recepit. Post
 autem, cum Arrianos in fide labi sensisset, ad Auitum episcopum Viennensem ac-
 cessit, & Christum filium Dei, ac Spiritum S. patri æqualem confessus, saluari se a-
 qua tingi ritu Catholico in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti poposcit. verum
 ad seditionem populi deuitandam id clam populo fieri petiit. cui Auitus respon-
 dit: Si vere credis; quod nos Dominus edocuit, exple. id est, coram hominibus
 ipsum confitere, ac vulgi vocus despice. tu enim es caput populi, non populus
 tui: quod ille vt faceret, in animum inducere non potuit. atque ita in errore suo

504 perseuerauit. Proximo anno, quo Cetheus sine collega consulatum administrauit, Petza dux Theodorici bellum in Pannonia magna felicitate confecit. siquidem collatis signis regem Gepidarum Transaricum deuicit, & Sirmium oppidum haud magno negotio cum prouincia uniuersa populo Bulgarorum ademit. quo in bello Vitigis, qui post in Italia regnauit, opera præclara enituit. Hac re bene gesta, Petza inde auxilio Mundi, qui in Illyrico cum suis in turri à Sabiniano militiæ magistro obsidebatur, accessit, &, Sabiniani exercitu profligato, Mundum obsidione exemit, atque ad Theodorici societatem, amicitiamq; traduxit. Pannonia Sirmiensis recepta, Theodoricus Colosseum ei rectorem imposuit, his ad eum litteris datis: *Prosperis initiatus auspiciis ad Sirmiensem Pannoniam quondam sedem Gothorum proficiscere illustris cinguli dignitate præcinctus, commissamq; tibi prouinciam armis protege, iure compone, ut antiquos defensores recipere læta possit, quæ se nostris parentibus feliciter paruissè cognouit.* Scripsit etiam ad uniuersos barbaros, & Romanos Pannoniam in summa discordia incolentes, se Colosseo, viro illustri, gubernationem eorum, defensionemq; mandasse, eosque ad concordiam adhortatus est, illud præter cetera inferens: *Res parua non vos ducat ad extrema discrimina. acquiescite iustitia, qua mundus letatur. Cur ad monomachiam recurritis, qui venalem iudicem non habetis? Quid opus est homini lingua, si causam manus agat armata? Imitamini Gothos nostros, qui foris prælia, intus norunt exercere modestiam.* Hinc in veteribus monumentis merito hæc titulis decoratus est: *D. N. gloriosissimus, atq; in chlytus rex Theodoricus, victor, ac triumphator, semper Augustus, bono reip. natus, custos libertatis, & propugnator Romani nominis, domitor gentium.* Sub hoc tempus in Gallia Licumannus Cæsarij episcopi Arelatensis notarius Cæsarium ad Alaricum regem, orbis dominum, detulit, id moliri, vt urbem Burgundionibus proderet. quod etsi à vero prorsus abhorruit, tamen Cæsarius indicta causa à rege damnatus Burdigalam est relegatus. ibi cum nocte quadam ingens forte conflatum incendium esset, præclarum sanctitatis suæ specimen dedit, quod precibus ciuium fatigatus, ignem tum, cum maxime sæuiebat, precatone ad Deum facta, restinxit. ex quo ingentibus ab omnibus cumulatæ laudibus. cum autem interim ciues admonere, vt potestati regis obedirent, perfidiam vero cauere, quod erat Arrianus, insisteret, Alaricus, sancti sacerdotis innocentia cognita, eum domum reuocauit. Reditus eius ab uniuersa ciuitate, totoque clero cum crucibus, & cereis obuiam effuso concelebratus illud præterea boni ciuibus attulit, quod terram diutina siccitate arentem excussus sub ingressum eius celo imber largissimus irrigauit. Et hoc anno bellum ab Anastasio Augusto in Perfide 505 gestum. Sequentis, Sabiniano, & Theodosio consulibus, parum clara est fama, quod nullis rebus memorabilibus, quæ proditiæ litteris sint, fuerit illustratus. Mefalla vero, & Areobinda consulibus, Anastasius Imperator grauiorum bellorum 506 cura defunctus, conuerso in Catholicos impetu, Macedonium Constantinopolis episcopum, Concilio Chalcedonensi neglecto, in partes traducere Eutychianorum contendit. quo conatu lapsus episcopos alios, vt decreta Chalcedonensia impugnarent, induxit. quin etiam pictorem quendam Syroperfam Manicheæ sectæ addictum Cyzico accersiuit, eumque imagines ab Ecclesiasticis diuersissimas pingere imperauit. ex quo seditio grauis accensa est. Eodem anno Alaricus, qui in Gallia diu cum magna iustitiæ laude Visgothos in pace rexit, Theodosij Imperatoris Codicem, qui extat, in compendium relatum I I I Nonas Februarias edidit. quod ocium eius Clodoueus rex Francorum, bello internecino illato, perripit. nam siue hæresim illius insectans, siue regni libidine ardens, consulto litem nescio quam, quo illum ad arma attraheret, intentauit. Theodoricus autem, postquam accensa certaminis cupiditate vtrinque studia sensit, animi anxius, quod cum ambobus vinculo affinitatis esset astrictus, legatos ad vtrumque cum litteris de concilianda concordia misit. atque ad Alaricum quidem primum scripsit hoc modo: *Quauis fortitudini vestrae confidentiam tribuat parentum vestrorum innumerabilis multitudo, & Attilam potentem reminiscamini Visgothorum viribus inclinatum, tamen quia populorum ferocia corda longa pace mollescunt, caute subito in aleam mittere, quos constat tantis temporibus exercitia non habere. Sustinete, donec ad Francorum regem legatos nostros mittamus,*

mittamus, & litem vestram amicorum iudicia amputent. Inter duos nobis affinitate coniunctos nolumus aliquid tale fieri, unde unum minorem contingat forsitan inueniri. non vos parentum fusus sanguis inflammat. non grauius vrit occupata prouincia. adhuc de verbis parua contentio est. facillime transigetis, si non per arma vestros animos irriteris. deinde ad Lodoinum (sic enim Clodoueam appellat.) hoc pacto: *Miramur, animos vestros sic causis mediocribus excitatos, ut cum filio nostro Alarico rege durissimum velitis subire conflictum, ut multi, qui vos metuent, de vestra concertatione latentur. ambo estis summarum gentium reges, ambo atate florentes. non leuiter regna vestra quassatis, si data partibus libertate confligitis. Impatiens sensus est, ad primam legationem protinus arma mouere, à propinquis,*

10 *quod queritur, electis iudicibus expetatur. abiicite ferrum, qui in meum vultis pugnare opprobrium. iure patris vobis interminor, & amanti. ille nos, & amicos nostros patietur aduersos, qui talia monita crediderit esse temnenda. Quamobrem ad excellentiam vestram legatos nostros mittimus, per quos etiam ad fratrem vestrum filium nostrum regem Alaricum scripta nostra direximus, ut nullatenus inter vos scandala seminet aliena malignitas, sed in pace perseverantes controuersias vestras amicis arbitris finiat. Ut autem Alaricus se in auctoritate illius futurum ostendit, sic Clodoueus omnino præcepta eius, litterasq; contempsit. Itaq; Theodoricus legatos alios cum his litteris ad Gundobadum Burgundionum regem misit, adhortans eum, ut operam sibi suam ad hanc dirimendam controuersiam commodaret. Legatos nostros, inquit, ad fraternitatem tuam mittimus, ut si filio nostro Alarico visum fuerit, ad regem Francorum cum coniuratis nobis gentibus eant, ut causa, quæ inter eos vertitur, amicis arbitris rescindatur. conuenit enim tantos reges non inter se lamentabiles rixas querere, ut de suis nos possint casibus sauciare. Quamobrem fraternitas vestra adhibito mecum studio eorum nitatur reparare cõcordiam, quia nemo potest credere sine nostra voluntate illos ad hæc prælia peruenisse, nisi omnino pateat, nos potius, ne ad conflictum veniant, contendisse. Item alios misit ad reges Herulorum, & Thuringorum, qui in Subalpinis regnabant: Legatos vestros vna cum meis, & fratris nostri Gundobadi regis ad Francorum regem Lodoinum destinate, ut aut se de Visgorthorum conflictu considerata equitate suspendat, & leges gentium querat, aut omnium patiat incursum, qui tantorum arbitrium iudicat esse temnendum. Recolite Eurici senioris affectum, quantis vos iuuat semper muneribus, quoties à vobis proximarum gentium imminet bella suspendit. reddite filio eius gratiam, quam tantum agnoscitis vestris utilitatibus attributam. nam si tanto regno aliquid prauauerit, vos aggredi sine dubitatione præsumet. Legati missi apud Clodoueam nihil neq; auctoritate, neq; gratia valere. ille enim causis, quas diximus, stimulatus, ac viribus suis, quæ magnæ erant, confusus bellum facere Alarico intendit. & cum episcopos Aurelianum conuenire iussisset, litteris eos monuit, se exercitui suo, antequam in agrum Gotthorum ingrediatur, edixisse, ut sanctimonialibus, viduis Deo dicatis, & clericis, atq; ecclesiarum mancipiis parceret, neq; vllum eis detrimentum inferret. si quem eorum quis cepisset, statim dimitteret. Inde, traiecto Ligero aduersus Alaricum, qui ad oppidum Pictauiorum confederat, mouit. Ceterum, cum per agrum Turonensem transiret, verecundia S. Martini perfusus militibus suis præcepit,*

40 *ne quidquam ex eo, nisi panem, & aquam, assumerent. non leui defunctorum pœna, qui hoc imperium detrectasset. itaq; cum miles quidam fœnum pauperi extorsisset, pectus ei gladio hausit, subiiciens: Ecqua spes victoriæ suberit, si Sancti Martini numen offenditur? missosq; aliquot ad basilicam eius viros attendere iussit, num auspiciam aliquod victoriæ cernerent. ac, datis muneribus, quæ offerrent, dixit: Si tibi Domine cordi est, ut ego hanc gentem impiam, & nomini tuo inimicam vlciscar, fac, ut signum aliquod tuæ eluceat voluntatis. nuncij vero, qui missi erant, basilicam ineuntes primicerium incipientem hanc antiphonam audierunt: Præcinxisti me Domine virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me, & inimicorum meorum mihi dedisti dorsum, & odientes me disperdidisti. idque, per solutis donis, regi ipsi renunciarunt. Cum autem lætus ille propterea, motis castris, ad Vigennam amnem peruenisset, ac flumini magno forte effuso imbre tumescenti exercitum obicere pertimesceret, per noctem supplex Deum orauit, ut vadum sibi ad traiciendum illud ostenderet, ac postridie mane ceruam transeuntem sequutus, exercitum incolumem transportauit. Castris inde ad Pictauiorum*

50

oppidum positis, pharum igneam sibi videre visus est ad se à basilica Sancti Hilarij
 venientem. ex qua intellexit, se lumine Sancti Hilarij hæreticorum acies, quas ille
 verbo disiecerat, dissipaturum armis. quamobrem, ne quid inde à milite rapere-
 tur, edixit. Acies inde in campo Voeladensi decem ab vrbe millibus passuum v-
 trinque instructæ strenue concurrerunt, & post dubiam aliquot horarum pugnam
 tandem Gotthis in fugam conuersis Franci superiores fuerunt. inter ceteros, quos
 prælij impetus perculit, ipse Alaricus rex cecidit, viginti duobus annis regno poti-
 tus. Clodoueus tamen ad extremum periculum venit. siquidem à duobus Gotthis
 infestis in latera eius incurrentibus appetitus vix se firmæ lorice, & opportuno per-
 nicis equi subsidio texit. præcipue multi Aruerni, in primisque senatores ipsi, qui 10
 cum Apollinare venerant, perierunt. Ex hoc prælio Amalaricus Alarici filius puer,
 rebus Galliæ deploratis, in Hispaniam se proripuit. Gotthi, Gifalarico, siue Gifaleu-
 co Alarici notho subleto, ad regni defensionem se contulerunt. Theodoricus
 Clodouei filius iussu patris ad vrbes Gotthicas expugnandas profectus, Tolosam
 regni caput subito in ditionem cum omnibus regiis thesauris adduxit. inde exerci-
 tus ad alia oppida circumductus, Gotthis, qui intus erant, non minore pertinacia
 eorum possessionem tuentibus, quàm Francis oppugnantibus. Clodoueus, Burdi-
 gala capta, ibi hiemauit, atq; eo cunctos Alarici thesauros Tolosa auhendos man-
 dauit. Interim Episcopi, qui Aurelianum à Clodoueo fuerant conuocati, perfecto
 Concilio, sic ad eum scripserunt: *Omnes sacerdotes, quos ad Concilium venire iussistis,* 20
de rebus necessariis tractaturos ex præscripto vestro de titulis à vobis propositis, quæ nobis sunt
visa, decreuimus. Hi vero fuerunt de incolumitate eorum, qui ad Ecclesiam con-
 fugissent, de officio, & iure episcoporum, clericorum, abbatum, & monachorum,
 de diebus festis celebrandis, de supplicationibus ante diem Ascensionis Domini-
 cæ peragendis, ieiunio triduo præmissis, & seruis ab operum ministerio relaxan-
 dis. Subscribere præter ceteros clari per hæc tempora Eufrasius Aruernus, Li-
 507 cinius Turonensis, & Quintianus Ruthenus. Anastasio inde Augusto III, Ve-
 nantioque consulibus, Clodoueus Burdigala profectus Engolismam accessit, ac,
 muris sub aduentum eius sponte sua labentibus, haud religione intactus urbem si-
 ne vlllo negotio occupauit. inde Turonos regressus multa basilicæ S. Martini mu- 30
 nera intulit. Anastasius autem Imperator, cognitis rebus à Clodoueo gestis, virtu-
 tem hominis admiratus, eximia ad eum dona, & codicillos de consulatu ex ipsa,
 vbi bellum gerebat, Mesopotamia misit. quibus acceptis, Clodoueus filium Theo-
 doricum accersit, ac Solemne Francis indixit. qui cum frequentes conuenissent,
 in basilica Sancti Martini semet muneribus Augustalibus, tunica blattea, chlamy-
 de, & corona aurea preciosis gemmis distincta ornauit. inde, equo infesso, urbem
 specioso suorum agmine comitatus perambulauit. ac communis lætitiæ caussa sti-
 pem auream, argenteamq; in populum sparsit, tanquam consul, & Augustus passim
 à populo salutatus. quo die nullus pulchrior Francis post festum diem Christianæ
 regenerationis illuxit. Addidit inde huic gloriæ insigne religionis decus. quippe 40
 eximiam illam coronam, quam missam ab Imperatore gestarat, parum sibi con-
 gruere arbitratus, Romam dono Sancto Petro misit. atq; ea caput regali longe au-
 gustius exornauit. ea corona postea Regnum, vt notauit Sigebertus, est appellata.
 Egressus inde Turonibus Parisios venit. atq; eadem Apostoli reuerentia ductus ibi
 basilicam nomini Sancti Petri construxit. ac regni domicilium collocauit. ex quo
 ab hominibus celebrari Pariensis ciuitas cœpta demum ad immensam opum ma-
 gnitudinem est euecta. Interim Theodoricus rex Italiæ Amalarici orbitatem ex a-
 nimo miseratus, vt calamitati eius, quoad posset, subsidium ferret, in Hispaniam
 Theudam armigerum suum, qui puero tutor esset, summisit, ac Galliæ ciuitates
 aut recuperare amissas, aut conseruare obsessas constituit. nam Carcasso, & Arela- 50
 te præcipue à Francis circumiecto exercitu premebantur. itaq; litteras ad Got-
 thos suos, vt se ad hanc expeditionem accingerent misit: *Significanda magis sunt Got-*
this, inquit, quàm suadenda certamina. quia bellicosa stirpi est gaudium comprobari. Pro com-
muni utilitate exercitum ad Gallias constituimus destinare, vbi simul & vos prouectus occa-
ssionem habere possitis, & nos, quæ præstitimus, meritis contulisse videamur, atq; ideo Pernan-
 dium

alium Saionem nostrum admonendum curauimus, ut ad expeditionem in Dei nomine more solito armis, equis, rebusq; omnibus necessariis sufficienter instructi VIII Kal. Iulias primas modis omnibus, Deo fauente, moueatis. Vbi vero dies praestituta venit, quæ fuit, teste Cassiodoro, Venantio, Celereque consulibus, exercitum, praefecto Hibba Comite suo dato, in Galliam destinauit. Qui Alpes transgressus, Carcaſſonem, ut inquit Procopius, periculo obsidionis eripuit. hanc enim Franci omnibus viribus oppugnabant, quod in ea conditæ opes erant, quas senior Alaricus capta Roma euexerat. in his Salomonis preciosa supellex, quam Romani Hierosolymis deportauerant. Inde ad Arelate liberandum contendit. in ea obsidione propinquus Cæsarij episcopi vrbi, & sibi timens, noctis silentio reſte se de muris demisit, atque ad hostes transfugit. qua re cognita, populus, & Iudæi consilio id Cæsarij factum inſularunt, quod urbem hostibus prodere ſtatuisset, atque exceptum in custodiam tradiderunt. inque eius contumeliam Episcopium, immiſſa Arrianorum turba, fœdarunt. ſequenti nocte Iudæus quidam epistolam ſaxo alligatam in caſtra hoſtium iecit, monens, ut urbem ab ea parte inuaderent, in qua ipſi excubias agitent; nam ſine controuerſia potituros. proinde Iudæorum populo parcerent. mane vero, digreſſis forte à muro hoſtibus, cuius quidam egreſſus epistolam deprehendit, eamque in urbem delatam in concione recitauit. ita, Iudæo eius ſcriptore correpto, Cæsarius, probata innocentia ſua, è custodia mittitur. reuerſi inde in urbem

10 Gotthi Francos, quos ceperant, in Episcopium coniecerunt. quibus inopia laborantibus Cæsarius victum ſubminiſtrauit, ornamentis etiam eccleſiæ in id pietatis genus exhaustis, ne illi Iudæis, aut Arrianis ſe addicere cogentur. ad extremum Francis ab Arelatis obsidione cedentibus, vrbs longam perpeſſa famem, in Theodorici poteſtatem conceſſit, & pro Viſgotthis Oſtrogotthos accepit. inde etiam Arauſicum, Tolofa, Maſſiliaq; receptæ. Ceterum Theodoricus, cum omnia recuperare non poſſet, partem, quæ ad Rhodanum pertinet, ut inquit Procopius, in eorum ditione reliquit. ac multa Francorum, & Gallorum millia capta Rauennam reuehenda mandauit. ac praefectis, & praefidiis, quæ regionem tenerent, relictis, prouinciam ſibi pro nepote Amalarico aſciuit, & principibus tributum ferre coactis, ex eo Oſtrogotthis, & Viſgotthis annua munera dare inſtituit. ab eo inde tempore connubia inter vtramque gentem communicata. demum Gallia, atque Hispania ad ſuam ditionem adiuncta, praefectos, qui vtramque aut ordinarent, aut regerent, eo cum litteris miſit, quarum alias ad vniuerſos Galliarum prouinciales dedit:

20 *In antiquam libertatem reuocati veſtimini moribus togatis, exuite barbariem, abiicite mentium crudelitatem, quia ſub æquitate noſtri temporis non decet viuere moribus alienis, proinde de neceſſitatibus veſtris priuata ſide nobis, & industria comprobatum ad componendam prouinciam credidimus dirigendum. quamobrem ordinationibus eius ex noſtris inſtitionibus obedite, quia eum credimus vobis profutura decernere. recipite paulatim iuridicos mores, non ſit nouitas moleſta, qua proba eſt.* Aliis vero Gemellum praefecturae vicarium

30 conſtituit, & ut prouinciam ſanctè adminiſtraret, admonuit: *Hinc eſt, quod preſenti tempore in Gallias nobis, Deo auxiliante, ſubiectas Vicarium te praefecti noſtra mittit auctoritas. vnde perpende, qualia de te videamur habere iudicia, quando ad illos populos mitteris corrigendos, quos noſtris laudibus ſpecialiter credimus acquiſitos. age mandata, ſi cupis, in te proficere noſtra iudicia. turbulentam non ames, auara declina, ut talem te iudicem prouincia feſſa ſuſcipiat, qualem Romanum principem tranſmiſiſſe cognoſcat. Deſiderat egregios viros coacta cladibus ſuis, effice, ut victam fuiſſe delectet.* Quin etiam ad Vinigem Spatharium ita ſcripſit: *Cum Gallias exercitus noſter intrauit, ſi qua mancipia ſeruitium declinantia ad alios ſe, quàm quibus videbantur competere, contulerunt, prioribus dominis iubemus ſine aliqua varietate reſtitui. Aliorum forte regum prælia captarum ciuitatum aut*

40 *prædas appetunt, aut minas, nobis propoſitum eſt, Deo inuante, ſic vincere, ut ſubiecti ſe doleant noſtrum dominium tardius acquiſiſſe.* Et ad Hibbam ducem: *Deſinit am rem ab antiquo rege, quam tamen conſtet rationabiliter eſſe decoratam, nulla volumus ambiguitate titubare; atque ideo preſenti tibi auctoritate præcipimus, ut poſſeſſiones Narbonenſis eccleſiæ ſecundum præceſſe recordationis Alarici præceptum à quibuslibet pernaſoribus occupata teneantur, æquitatis facias contemplatione reſtitui.* Cum autem Hispaniæ

partem vnam Gifalaricus teneret, alteram vero Theuda tutor puero Amalarico à Theodorico impositus, hinc factum est, vt idem post ad Ampelium, & Liueriam in Hispaniam hoc modo scripserit: *Decet prouincias regno nostro subiectas legibus, & bonis moribus ordinari. Multorum querela comperimus, in prouincia Hispania vitas hominum vaga presumptione populari, & leuium occasione caussarum subire multos interitum. cui rei nos regali prouidentia succurrere cupientes, sublimitatem vestram per vniuersam Hispaniam loco muneris credidimus destinandam, vt subordinationis nostræ nouitate inueterata possit consuetudini nil licere.* Eodem anno Romanus Comes domesticorum, & Rusticus Comes scholæ cum centum armatis nauibus, totidemque dromonibus, VIII millia armatorum secum vehentibus, ad laceranda Italiæ littora accesserunt. 10 qui Tarentum, sed frustra, adorti, turpem ex Romano agro prædam abegerunt id, quod priuatione, an publico consilio fecerint, parum compertum. Per eosdem dies Clodoueus regulis Francorum, qui secum Galliam obtinerent, remouendis animum, vt solum imperio potiretur, adiecit. atque ita ad Clodoricum Sigeberti Coloniae reguli filium misit, inquit: Pater tuus ætate confectus, & pede captus est. si ille vita cesserit, ego tibi regnum, & amicitiam meam impertiam. quibus verbis iuuenis regni cupiditate incensus Sigebertum patrem Colonia egressum, ac, traiecto Rheno, Burconiam sylvam ingressum, ac somnum meridie in tentorio capientem, immisissis satellitibus, interfecit. atque ipsi nunciari Clodoueo iussit, patrem suum mortem oppetiisse, seque thesauros eius in potestate habere; si ad se 20 ministros suos mitteret, se illi partem esse daturum. Cui Clodoueus respondit: Mitto nuncios meos. tu fac, vt illis omnia patefacias, & vniuersa habebis. Paruit Clodoricus, & legatis venientibus penetralia aperuit. atque ita tibi, dum thesauros inclinatus erueret, securi elata percussus interiit. qua re accepta, Clodoueus populum eius ita est alloquutus: Dum ego per Scaldem fluuium nauigarem, Clodoricus patrem suum insequebatur, verbo præ se ferens, me illi eripere vitam velle. cumque ille per Burconiam sylvam fugam arripuisset, immisissis percussoribus interemit. neque ita multo post ipse quoque, dum thesauros eius aperit, vitam amisit. quorum ego criminum insons sum. vobis autem suadeo, vt ad me transeat, quo sub meo patrocinio sitis. Qua re audita, illi animis, vocibusque plaudentes Clodoueam super clypeum extulerunt, ac regem sibi esse iusserunt. hoc vero vtrum hoc 30 anno, an postero factum sit, quo Importunus consulatum administravit, parum compertum est. Huius compos voti factus Clodoueus inde aduersus Cararicum, qui bello contra Syagrium fidem ex fortuna suspenderat, castra mouit, ac dolo circumuentum vna cum filio in potestatem adduxit, atque ambos victos totondit. patre vero diram fortunæ suæ acerbiter suppliciter conquerente, cum filius ferocius aliquid, procaciusve loquutus esset, vtrumque plecti capite iussit, ac ditionem eorum sibi vindicauit. inde aduersus Ragnacharium apud Camaracum agentem processit, hominem libidine perditum, & proditoribus comparatis, qui hostilem exercitum aduentantem socialem esse persuaderent, ad manum temere conferendam 40 attraxit. ac summo prælio pulsum in fugam coniecit. inde comprehensum, & ad se manibus post terga religatis cum Richario fratre adductum ita rogauit: cur hanc generi nostro maculam attulisti, vt te vinculis alligari permitteres? satius enim fuerat, mori. ac statim percuti imperauit. tum conuersus ad Richarium dixit: Si tu fratri tuo opem tulisses, in vinculis non hæreres. atque ei similiter caput amputari præcepit. inde tertius frater Rignomeres apud Cænomanorum ciuitatem, tanquam tertia victima, est mactatus. regnumque, & thesauri eorum adiuncti. Tum, regulis aliis propinquis suis, à quibus sibi metuebat, deletis, regnum per omnem ferme Galliam prolatauit. In Italia Theodoricus rex ingentem Gepidarum manum mercede conductam in Galliam in præsentia destinauit, &, ne prouinciis 50 Italiæ in transitu aliquid detrimenti afferret, enixe prouidit. siquidem ad Veranum Saionem sic scripsit: *Cum pro generali defensione felicissimus producatur exercitus, prouidendum est, ne aut ipse pecunia inconsulta fatigetur, aut vastationem nostræ videamur prouincia sustinere. & ideo tibi mandamus, vt Gepidas, quos iussimus ad Gallias custodie causa properare, per Venetiam, atque Liguriam sub omni cures moderatione transire. quibus ne*

aliquid

aliquid excedendi præberetur occasio, per unamquamq; hebdomadam sumptus eis tres solidos largitas nostra direxit. Cum autem hi per Cottias Alpes iter facientes aliquot maleficia prouincialibus intulissent, ea de causa sequenti anno, qui fuit Boëtii philoso- 510
pho consule, quingentesimus decimus, Assen eis publicum relaxauit. atque ita ad Faustum scripsit: *Prouincialibus Alpium Cottiarum Assen publicum per tertiam Indictionem remisimus, quos transiens noster exercitus more fluminis, dum irrigat, oppressit. nam licet pro generali securitate frementi adunatione proruperit, præteriens tamē istorum culta vastauit.* Per eosdem dies Cæsarius episcopus Arelatensis apud Theodoricum Italiae regem accusatus, quod monasterium à se sorori, & sacris aliis virginibus conditum, 10
ac deinde in obsidione vrbs euersum instaurare cœpisset, Rauennam sub custodia missus est. cum autem ad regem in Palatium accessisset, interrito illum animo salutauit. cui Theodoricus venerabundus aperto capite assurrexit. ac de labore itineris, de Gotthis, & Arelatensibus percontatus est. dimisso inde illo, cōuersus ad suos dixit: Malum eis, qui tam sancto viro hanc itineris molestiam præbuerunt. nam quantus hic sit, ex eo conieci, quod ad primum eius ingressum prope totus cohortui, & angelicum in eo vultum notaui. quamobrem nefas esse arbitror, durius aliquid in tam venerabilem virum consulere. misitq; ad eum in hospitium loco muneris discum argenteum magni precij. Cæsarius autem eo vendito, & redacta pecunia captiuos omnes Gallicos superiore bello factos redemit. erant autem fere ex 20
iis, qui vltra Druentiam incolebant, atq; Arausicenses, quos liberare omnes Arelate nequiuerat. Ceterum, cum tanta ad eum pauperum cōflueret multitudo, vt vix pateret accessus, senatores, ac nobiles certatim ad eum dispēsandas pecunias contulerunt. eo factum est, vt Symmachus pontifex, & clerus Romanus vniuersus miro tanti visendi antistidis flagrare desiderio cœperit. itaq; Romam accitum benigne cuncti exceperunt, gratias Deo agentes, quod sanctum virum suis demum oculis subiecisset, de quo sæpissime antè auribus accepissent. præcipue vero Symmachus, qui eum non solum metropolitani honore, sed etiam pallij dignitate ornauit. itaque Arelate regressus, qui in exilium in Italiam venerat, captiuos redemptos 30
reduxit, & dignitate auctus octo solidorum millia reportauit. quibus Carcaffonem profectus reliquum captiuorum recepit. In Oriente res mirifica ad deterrendos, si sani fuissent, ab susceptæ impietatis pertinacia Arrianos, est facta. Deuterius eorum episcopus, cum Barbam quendam sacro fonte inficeret, ac ritu Arrianorum diceret: *In nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*, repente aqua ipsa exaruit. qua re Barbam exanimatus fugam arripuit, ac miram speciem oculis ostentatam obuiis omnibus enarrauit. Felix inde in Occidente, Secundinus in Oriente consulatum 511
ceperunt. Felix fuit domo Gallus. quem Theodoricus ad honestandum summæ virtutis hominem, & Galliam beneficio deuinciendam prouexit. itaque sic de illo ad Imp. Anastasium scripsit: *Admonet nos consuetudo solemnis, dare Fastis nomen, ornatum proprium Romæ, terrenam curiæ claritatem, vt per annorum numerum decurrat gratia dignitatum, & beneficij principum sacretur memoria seculorum. Felix à consule sumat annus auspicium, agnoscat curiæ Transalpini sanguinis decus, quæ non semel coronam suam nobilitatis eius flore vestiuit. Atq; ideo vos, qui vtriusq; reip. bonis indiscreta potestis gratia delectari, iungite fauorem, adunate sententiam. amborum iudicio dignus est eligi, qui tantis fascibus mereatur augeri.* & ad Felicem ipsum hoc modo: *Redit per te Transalpinæ familiæ consulatus. sacram urbem aspice tuis votis candidatam. sume per Indictionem quartam consulatus insignia.* Quin etiam Argolicum in eandem quartam Indictionem præfectum vrbs constituit. scripsitq; ad eum, vbi Paulinum Patricium vetusta horrea reædificare, Ioannem cloacas reparare permetteret. & se causam Basilij, ac Prætextati, qui artem magicam tractasse accusati aufugerant, quinque Senatoribus cognoscendam 40
commisisse, id est, Patriciis viris Symmacho, Decio, Volufiano, Cæliano, & Maximiano. scripsit etiam ad senatum Romanum, se accepisse, aquam Formarum ad molas exercendas, & hortos irrigandos esse deriuatam, mancipia Formarum scrutio, mandato principum, attributa in priuatorum potestatem traducta, æs, & plumbum de ornatu mœnium esse sublata, templa, & loca publica, quæ multorum postulata restituenda locasset, subuersioni potius esse addicta. eaq; quia turpia, atque 50

intoleranda sint, se Ioannem virum spectabilem ad inquirendum misisse. Iamvero Comitem etiam Maradum misit in Galliam ad securitatem Massiliensium ciuitati præstandam. Prouincialibus item Galliarum, quos bellum afflixerat, per quartam indictionem tributariam functionem remisit. Apud Francos anno centesimo duodecimo post S. Martini episcopi Turonensis excessum Clodoueus rex mortuus est, cum annos triginta regnum obtinuisset, ac res magnas, & memorabiles, tam regno, quam fide Catholica propaganda gessisset. Regnum eius adeptus est Childebertus filius, qui ipsum cum fratribus est partitus. Childeberto Parisij, Clothario Sueffiones, Clodomiro Aurelianum, Theodorico notho Mediomatrices euenerunt. In Oriente, Anastasio, homine non solum leuis animi, sed etiam prauis ingenij 10 Imperante, Eutychniani maiorem Chalcedonensis Concilij oppugnandi licentiam nacti, in multas hæreseum sectas sunt distributi. quarum duæ præcipue excelluerunt, vna Acephalorum, altera Aphthardocitarum. pro illis stetit Seuerus. qui in aula versans Anastasij, post ad ecclesiam Antiochenam ascendit, atque vnam verbi, & carnis naturam esse asseruit; pro his Iulianus Halicarnassensis, qui corpus Christi à conceptione expers corruptionis fuisse putauit. vtraque post hæresi Ecclesia vehementius afflictata est. nam priorem hoc anno Anastasius, posteriorem inde Iustinianus Augustus ebibit. Anastasius autem à Seuero, ceterisque Eutychnianis corruptus Macedonium vrbs episcopum Chalcedonense Concilium amplexantem in 20 exilium misit, atque ei Timotheum cum Seuero sentientem suffecit. ac sequenti anno, Paulo, & Muschiano consulibus, multa in eos incommoda intulit, qui pro Macedonio, & Cōcilio depugnabant. quin etiam Seueri auctoritatem sequutus, principio Nouembris Platonem Logotheram, & Præfectum vrbs, iussit suggestum conscendere, ac coram populo, hymno: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, addenda illa, quæ diximus, verba mādare, *Qui crucifixus est propter nos*. Sic enim Seuerus docuerat, cum Christus diuina tantum natura esset præditus, omnino fieri, vt Deus pro hominibus esset passus. quibus verbis auditis, populus sic offensus est, vt, seditione concitata, fœda in Anastasium conuicia iecerit, aliumque Imperatorem substituendum edicto clamore subiecerit. neque eo contentus, monachum quendam inclusum, in primis Anastasio carum, necauit, ac, capite eius hastæ præfixo, vociferari cœpit: Hic, 30 est amicus hosti S. Trinitatis. & monacham item inclusam, quam ille magnificiebat, iugulauit, & cadauer vtrumque raptatum cremauit. Per eosdem etiam dies, cum Alamundarus Sarracenorum princeps à Catholicis saluari fonte esset ablutus, idem Seuerus duos ad eum misit episcopos, qui illum hæresi sua inficerent. quos Christum Deum tantummodo esse docentes ille eleganti commento non refellit magis, quam delusit. dixit enim, eo ipso die se litteras accepisse, Michaëlem archangelum esse mortuum. cum autem illi subiecissent, angelum morti non esse obnoxium, at, quemadmodum, inquit, Deus purus potuit crucifigi, quod vos asseritis? In Italia Theodoricus castellum Verucæ ad Athesim positum muniri iussit, vt claustra Italiae teneret, & feris gentibus inuadere cupientibus moram iniiceret. Transamundo 40 Africae regi sororem Amalafredam, Herminfrido Thuringorum regi neptem collocauit. Symmacho Patricio theatrum restituendum, quod magna se mole solvebat, commisit. & Campanis, quorum agrum Vesuuius mons exestuans peruastauerat, tributum remisit. Ceterum illius exæstuationis huiusmodi fertur fuisse natura. Mons ille hiatum ingentem edebat. inde spiritus quidam ater adeo, ac densus erumpebat, vt lucem solis caligine, tenebrisque inuolueret, strepitu ita horrendo, vt vicina loca tremore concuteret. cinis inde rãtus effundebatur, vt prouincias quoque Transmarinas obrueret. in Campania vero quidam quasi pulueri amnes fluebant. & arena impetu feruente more fluminis decurrebat, qua plana camporum usque ad arborum cacumina tumescebant, & virescentia omnia protinus arescebant. 50

513 Probo inde, & Clementino consulibus, Eustorgius secundus ad ecclesiam Mediolanensem gubernandam ascitus ad fontem Baptisteriorij à se constructum mirifico artificio aquam per rectum templi adduxit.

Cum Hispaniæ, vt dixi, partem vnã Gifalaricus, alteramque Amalaricus teneret, Theuda, qui Amalarico à Theodorico rege tutor datus summæ rerum præerat, contracto

contracto cum Gifalarico defectionem ineunte certamine, apud Barcinonem deuicit. ille vero ad Transamundum regem Africæ progressus, benigne ab eo receptus. & pecunia subleuatus est. quod ut Theodoricus audiuit, ita percitus litteras ad eum has misit: *Quauis multis regibus filias, aut neptes nostras ad firmandam concordiam connubio sociauimus, nemini tamen tale aliquid impertiuimus, atq; cum germanam nostram singulare generis Amali decus tibi despondimus. quam obrem miramur admodum, quod Gifalecum (sic enim appellat) qui inimicis nostris, dum à nobis foueretur, adiunctus sit, in tuam defensionem receperis. & rerum omnium inopem subsidio subleuaris, cum nobis affinitate coniunctus sis. quare legatos ad querendam huius facti rationem mittendos duximus.*

- 10 Transamundus, his litteris lectis, comiter respondit, nec solum verbis, sed etiam muneribus missis iram Theodorici mitigare contendit. Theodoricus autem, excusatione accepta, ingenti animo dona remisit, eumq; ut in posterum sanctius amicitiam coleret, monuit. Theuda totum Hispaniæ regnum pro puero Amalarico administrare Theodorici iussu perrexit. In Oriente interim res in dies deteriores Catholicorum fiebant. etenim Anastasius Imperator Flavianum episcopum Antiochenum, hominem decreta Chalcedonensia propugnantem ecclesia deturbauit, ac Seuerum, qui ipsam deprauarat, suffecit. auxiliij tamen nec opinati, unde minime sperabatur, lux quædam affulsit. Vitalianus nanque Scytha, assumpto Romanorum equitum auxilio, Constantinopolim adiit, & castris ad Septimum positis,
- 20 ad Auream portam accessit, professus, se pro Catholicis, & Macedonio exilio indigne multato eam expeditionem sumpsisse. ea re Athanasius territus, ne in belli gerendi necessitatem incideret, promisit, se Concilium ad eam rem Heracleæ coacturum, atque adeo etiam pontificem Romanum adhibiturum. atque ita Vitalianus sine maleficio post dies octo discessit. Sequens annus consulem habuit Cassiodorum, cognomine Senatorem, eum, qui Fastos consulares, & epistolas Theodori- 514
regis in quæstura, & magisterio scripsit. quorum ope nos hanc magna ex parte historiam contexuimus. hoc consule, Symmachus pontifex XIII Kal. Augusti diem obiit suum, in primis laude piæ liberalitatis insignis, cum ad cetera beneficia episcopis, quos Transamundus post persequutionem in Africa renouatam in Sardiniam relegasset, assidue vestes, atq; alimenta suppeditasset. eo rite sepulto, clerus, ac populus, quos, illo viuento, praua animorum dissensio in diuersa studia traxerat, ad concordiam redierunt. atq; vna postridie conuocati magna consensione Cælium Ormisdam Frusinatem ei subrogauerunt. atq; hoc est, quod Cassiodorus in Fastis notatum reliquit, *se consule, adunato clero, & populo, Romana ecclesia optatam rediisse concordiam.* Heracleæ Concilium est habitum, quo ducenti amplius episcopi conuenerunt. ac pontifex à Theodorico rege fatigatus legatos misit. Ceterum, episcopis ab Anastasio Imperatore, & Timotheo episcopo Constantinopolitano illulis, nihil est perfectum. Vitalianus autem, vbi sibi verba data ab Anastasio sensit ira incensus nouis Imperium afficere maleficiis institit, multosq; captiuos factos
- 30 contumeliose, indigneq; tractauit. Per hos annos Theodoricus, bello cum Alemanis contracto, ipsos in potestatem adduxit. auctor est huius historiæ Procopius, cui assentiunt etiam Theodoricæ litteræ ad prouinciales, qui erant in Sueuia, datæ. certus tamen huius rei adhuc erui annus non potuit. Angebat Acaciana causa Ormisdam, ut quæ vna hoc tempore ecclesiarum concordiam distineret. itaque decessores suos imitatus, ut salutare huic morbo remedium adhiberet, Florentio, 515
Anthemioque consulibus, episcopos ex Italia Romam acciuit, ac, relatione ad eos de Acacio facta, ex eorum sententia legatos Constantinopolim ad Anastasium misit, Enodium episcopum Ticinensem, Fortunatum Catanensem, Venantium presbyterum, Vitalem diaconum, & Hilarium notarium, qui & ipsi, re irrita, redierunt.
- 50 Interim, dum Theodoricus Amalaricum nepotem in Hispania fouet, comperit, Eutharicum Viterici filium, Beremundi nepotem in ea prouincia degere. Beremundus enim Thurismundi filius, ex Amalorum familia natus, ex Scythia in Galliam ad regem Theodoricum Valliæ successorem contenderat, atque ab eo honorifice exceptus, filium Vitericum reliquerat. ex quo Eutharicus erat natus. in quodum mira ætatis, prudentiæ, ac pulchritudinis species clucebat. quod vbi Theodo-

ricus audiit, magnopere lætatus eum ad se vocauit, ac iuuenis indole captus generum sibi afciuit, Amalafuenta filia in matrimonium collocata. Eodem anno, Eufrafio episcopo apud Aruernos extincto, populus Quintianum sublegit, qui Aruernis exulabat, à Gotthis nuper episcopatu Rutheno depulsus, quòd vr̄bis Francis tradendæ suspicionem non dubie præbuisset. ille vero Apollinari eam dignitatē ambienti permisit. qui post quattuor mēsum spacium vita migravit. quod vbi Theodoricus rex Francorum accepit, Quintianum episcopum iussit substitui, illum nimio sui studio Ruthena ecclesia prædicans deturbatum. Proximo anno, quo Petrus consulum administravit, Theodoricus rex Italiæ Eutharico genero inter-
 516 tium post annum detulit consulum. ad quem ille insignibus omnibus regiæ magnificentiæ muneribus illustrandum se præparauit. Anastasius vero Imperator, vt gratiam à Theodorico iniret, eundem tunica palmata donauit, ac per arma filium adoptauit. Herminfridus rex Herulorum Bertharium fratrem expulit vita, ac, Theodorico rege Francorum auxilio aduocato, inde alterum Baldericum extinxit. neq; Theodorico promissam acquisitæ regionis portionem concessit. vnde capitales inter eos exarserunt inimicitia. Per eisdem dies Anastasius audiens, episcopum quendam præcipue sermonibus hominum celebrari, qui omnes Deum passum asserentes ita refelleret, vt respondere non possent, ad se accersiuit, congressumq; secum vt partibus se dederet suis, contendit. cui ille: *Quin tu potius, inquit, ad Catholicos transi, ne dum impios homines Eutychetem, Dioscorum, & Seuerum amplecteris, æterno incēdio addicaris, simulq; chlamyde eius apprehensa, Hæc, inquit, vestis nequaquã te post obitum consequetur, sed sola virtus, ac pietas. missam fac Ecclesiam, quam Christus sanguine suo redemit. indoctus es, & differendi rudis, neq; vllum Ecclesiæ decretum probe intelligis. tantummodo scurrilibus calumniis tuis homines fatuos, & nullo sensu præditos terres. satis habe, quòd Imperator es. caue autem, ne antistides Ecclesiæ vexes. ad quæ Anastasius rubore perfusus ne hiscere quidem sustinuit.* Eodem inde Augusto quartum, & Agapeto
 517 consulibus, Francorum reges bellum Burgundionum regibus intulerunt. Crothildis mater eorum memor, parentes suos à Gundobado patruo interemptos, Clodomirum, & reliquos filios alloquuta rogauit, vt domesticam iniuriã vindicantes Sigimundum & Godomarũ Gundobadi iam mortui filios armis inuaderent. quod illi pietati maternæ obsequuti, summo animi studio susceperunt. atq; exercitu ad eos adducto exercitum eorum fuderunt. ex regibus Godomarus est elapsus. Sigimundus, cum ad saltus Agaunos fuga raperetur, vna cum vxore, & filiis captus, Aureliis in custodiam datus est. Francis inde domum abeuntibus, Godomarus, receptis viribus, & relictis Burgundionibus, regnum recuperauit. cõtra quem Clodomirus ire contendens, Sigimundum necari cum vxore, & filiis iussit. corporaq; eorum in puteum iecit. atq; Theodorico fratre ad opem ferendam accito, Burgundiam petiit, & cõiunctis copiis, in agro Viennensi acie cum Godomaro decertauit. verum fugientem insequens, incautus in medios hostes delapsus occiditur. cuius caput cum Burgundiones conto præfixũ sustulissent, eius rei ferre dolorem Franci non potuerunt. atq; ira elati facto impetu in fugam Godomarum coniecerunt, & pulsas Burgundionibus, regionem sui iuris fecerunt. quæ postea à Godomaro est recepta. Romæ Ormisda pontifex de noua hæresi à Seuero illata sollicitus, vt Anastasium ad Catholicos traheret, iterum legatos ad eum misit Enodium episcopum Ticinensem, & Peregrinum Messanensem, litterasq; Catholicam fidem afferentes, & libellum pœnitentiæ addidit. Anastasius vero non solum salutaribus legatorum verbis, monitisq; non paruit, verum etiam eos corrumpere conatus, vbi frustra se laborare animaduertit, exemplo vr̄be, ne mandatis obediret, eiecit. atque in fragilem impositos nauim dimisit, adiectis custodibus, ne oppidum Græciæ vllum attingerent. Legati tamen tanta solertia fuerunt, vt ope monachorum epistolas in omnibus ciuitatibus diuulgarint. quas episcopi ciuitatũ metu Imperatoris misere Constantinopolim. quibus rebus Anastasius inflammatus, eo indignatione prouectus est, vt, litteris ad pontificem datis, ausus sit dicere, se velle imperare, non imperari. cuius, vt impiæ, vocis meritas breui post pœnas persoluit. Magno enim,

enim, & Flórentio consulibus, apparuit ei in somnis species terribilis hominis co- 518
 dicem manu tenentis. qui, illo aperto, & nomine ipsius inuento, ei dixit: Ecce pro-
 pter peruersitatem fidei tuæ annos de vita tua quattuordecim deleo, simulq; eos
 expunxit. Excusso autem somno confusus Anastasius somnium illud Amantio cu-
 biculi præposito narrauit, qui se quoque alterum vidisse eodem pertinens addidit,
 nempe se coram illo astantem à porco dilaniari. quæ somnia Proculus coniector
 adhibitus ita interpretatus est, vt mortem vtrique impendere responderit. Anasta-
 sius vero cum ab oraculo didicisset, sibi igne pereundum esse, vt fortis necessitatem
 eluderet, cisternam in Palatio fabrefecit; quò in ipso, si contingeret, incendij pe-
 10 riculo se reciperet. verum ea res frustra fuit. nam vi Idus Iulij, suborta sæua cœli
 tempestate, repente fulmine ictus interiit. eo inde sepulturæ mandato, Iustinus
 Thrax, tribunus, & Comes magno populi, militumq; consensu ad Imperium est
 euectus. is vbi primum iniit, vt erat Catholicis deditus, ex templo legatum, nomine
 Gratum, Romam ad pontificem Ormisdam de redintegrandâ ecclesiarum con-
 cordia misit. quod vbi percrebuit, repente omnes in certam spem Ecclesiæ Catho-
 licæ aliquando tandem recuperandæ venere. itaq; Idibus Iuliis, cum Ioannes Con-
 stantinopolis episcopus die Dominica rem diuinam fecisset, populus, qui in ecclesia
 astantabat, vna voce, vt ambonem ascenderet, postulauit. & cum ille morem gessisset,
 Seuerum communionem moueri, patres in exilium temere actos reuocari, Conci-
 20 lium ad hanc rem haberi poposcit. postridie autem Macedonij, & Euphemij reli-
 quias ecclesiæ restitui, ceteraq; quæ pridie postulauerat, perfici, nouis clamoribus
 flagitauit. atque annuenti Ioanni subiecit: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visi-
 tauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Sacro inde perfecto, & ianuis clausis, & sancta
 lectione de more finita, hora Diptychorum ad altare accurrit, ac diacono nomina
 quattuor Conciliorum, itemq; Euphemij, Macedonij, & Leonis pontificis recitan-
 ti magno consensu, *Gloria tibi Domine*, succlamauit. Vbi vero episcopi conuenerunt,
 xiiii Kal. Augusti monachi Constantinopolitani eadem, quæ populus poposce-
 rat, petierunt. clerici vero, ac monachi Antiocheni, hæresi, probrisq; Seueri expo-
 30 sitis, auxilium rebus suis perditis implorarunt. quibus cognitis, episcopi cum cetera
 omnia confirmarunt, tum in primis Seuerum omni honore spoliatum anathemati
 subiecerunt, ac decretum ad Iustinum Augustum detulerunt. Postquam autem Gra-
 tus Iustini legatus Romam peruenit, atq; egregiam Imperatoris voluntatē de con-
 cordia ecclesiæ concilianda exposuit, Ormisda Rauennam lætus ad Theodoricum
 consulendum cōcessit. req; cum eo communicata, legatos Constantinopolim de-
 stinauit, ad recipiendos in gratiā eos, qui Acacij, Petri, Timothei, & Dioscori nomi-
 na ex Diptychis exemisēt. hi vero fuere Germanus episcopus Capuanus, Ioannes,
 ac Blandus presbyteri, Felix, & Dioscorus diaconi, & Petrus notarius, qui Grato Iu-
 stini legato redeunti se adiunxerunt. Eodē anno Amalafuenta Eutharici vxor pue-
 rum Athalaricum peperit, qui post Theodorici mortem regnum Italię tenuit. Iustino
 40 inde Augusto in Oriente cōsulatum administrante, Eutharicus ipse Romam ad 519
 ineundum cōsulatum accedens, regio occursu ab omnib. ordinibus ciuitatis exce-
 ptus est. neq; enim ambigebatur, quin is, si post Theodoricū vita suppeditasset, re-
 gnum foeri testamēto gesturus esset. ille insigni liberalitatis splendore, & cū egre-
 gia omnium gratia eum magistratū administrauit. siquidem in senatum progressus,
 Gotthis, Romanisq; multos honores cōmunicauit. in amphitheatro munera ma-
 gnifica edidit, feris ex Africa, quas Roma nunquā antea viderat, in arenā productis,
 Symmacho Iustini legato, qui aderat, omnino in eiusmodi pompæ admirationē ef-
 fuso. quibus reb. perfectis, Rauennam ad Theodoricū reuersus, multo etiā amplio-
 ra Gotthis, Romanisq; donauit, vsque adeo vt semetipsum in eo liberalitatis officio
 50 superarit. Interim legati pōtificis Cōstantinopolim peruenerūt, atq; à Iustino Impe-
 ratore, & cōsule, simulq; à Vitaliano Patricio, & ab illustrib. viris, monachisq; Catho-
 licis extra urbē honoris causa egressis, atq; ab ipso demū Ioanne urbis episcopo be-
 nigne accepti sunt. qua re animaduersa, defensores Acacij præ pudore se in adē S.
 Sophiæ abdidere. ac cōsilio agitato ad Iustinū misere, qui dicerēt, nisi reddita ratio
 fuisset, quare Acacius damnatus fuisset, se nunquā cum sede apostolica cōsensuros.

Iustinus libellum ab Ormisda missum accepit, & Seuerum, quem episcopi hoc etiam anno cum ceteris hereticis anathemate iugularunt, lingua multatum Septembri mense in exilium egit. cui Paulus est substitutus. Ioannes vero urbis episcopus libellum prodidit, in quo se quattuor Concilia, & epistolas Leonis approbare, Nestorium vero, Dioscorum, Eutychem, Timotheum Aelurum, Petrum Alexandrinum, & Acacium Constantinopolitanum episcopos detestari, & in omnibus rebus decretis sedis Apostolicæ stare asseruit. atque hanc Confessionem v. Kal. Aprilis subscriptam Romam ad Ormisdam cum his litteris misit: *Redditis mihi litteris vestrae sanctitatis per Gratum clarissimum Comitem, & nunc per Germanum, & Ioannem reuerendissimos episcopos, & Felicem, ac Dioscorum sanctissimos diaconos, & Blandum presbyterum, letatus sum de spirituali caritatis vestrae sanctitate, quod vnitatem sanctissimarum Dei ecclesiarum secundum veterum patrum traditionem requiris, & dilaceratores gregis, Christi amore, propulsare festinas. certus igitur scito per omnia Sanctissime, quia, prout vobis scripsi, tecum cum veritate sentiens, omnes à te repudiatos hereticos renuo, & ego pacem diligens, sanctissimas Dei ecclesias, id est, superioris vestrae, & nouelle istius Romae unam esse accipio, illam sedem Apostoli Petri, & istius Augustae ciuitatis unam esse definitio. Inde quæ approbet, reprobetque, adiungit, sic concludens: Quapropter, sicut praediximus, sequentes in omnibus sedem Apostolicam & praedicamus omnia, quæ ab ipsa decreta sunt, & propterea spero, in una communicatione nobiscum, quam Apostolica sedes praedicat, me futurum, in qua est integra deuotio Christianae religionis, & perfecta soliditas, promittens in posterum sequestratos à communionem Ecclesiae Catholicae eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.* 10

Inde data opera est, ut reliqui episcopi Ioannis auctoritatem amplecterentur. Iustinus Vitalianum consulem declarauit, ut per speciem honoris in vrbe illigatum facilius circumueniret insidiis, quod suspectas nimias illius in rep. opes habebat. neque ea, quæ aduersus Anastasium gesserat, approbabat. itaque, cum ille mox consulatum vnà cum Rustico iniuisset, septimo eius die, anno Christi quingentesimo viceesimo, in Palatio cum aliis satellitibus eius occidendum curauit. Cum autem multas ecclesias Asiae, Ponti, & Orientis inducere non potuisset, ut Acacij, & Petri nomina ex Diptychis tollerent, v. Idus Septembris Chalcedone ad Ormisdam pontificem litteras hoc significantes dedit, cumque, ut epistolam suam corrigeret, atque in mitiorem partem mutaret, orauit. nam Anastasium pontificem quondam Anastasio Augusto scripsisse, satis habiturum, si nomen Acacij sileretur. Hoc etiam tempore Boetius vir consularis opibus, atque auctoritate in vrbe florens, duos filios pueros ad consulatum extraordinarium extulit, atque inter eos medius & senatum appellauit, & populum congiario muneravit. qua de re sic ipse glorians scripsit: *Poterit ne illius memoria lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri, cum duos pariter consules liberos meos domo prouehi sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidi, cum eisdem in curia curules insidentibus regia laudis orator ingenij gloriam, & facundia merui, cum in circo duorum medius consulum circumfusa multitudinis expectationem triumphali largitione satiaui.* 20

Inde Valerio, & Iustiniano, qui postea imperauit, consulibus, Ormisda IIII Nonas Aprilis, cum iam Agapetus secundum, sed extraordinarium consulatum inisset, litteras ad Ioannem episcopum misit. quibus partes suas in causa, quæ agebatur, commisit, his verbis: *Quia per insinuationem dilectionis tuae huius est nobis via patefacta prudentia, remuneramus sollicitudinem tuam, & seruat is priuilegiis metropolitanorum vices nobis apostolicae sedis eatenus delegamus, ut inspectis, siue iis, quæ ad canones pertinent, siue iis, quæ à nobis nuper mandata seruentur, siue iis, quæ de ecclesiasticis causis tuae reuelationi contigerint nunciari, sub tua nobis insinuatione pandantur.* Qua potestate data, finis est tandem discordiae diuturnae impositus per legatos pontificis, cum iam Euphemius Ioanni mortuo esset suffectus. ut ipse Ormisda epistola ad eum missa gratulatur, significans, se ab eo, & legatis suis certiore de re composita factum. 30

Eodem anno, ut inquit cum Gregorio Iornandes, Theodoricus rex Francorum, veteribus simultatibus animo repetitis, assumpto Clothario fratre, & Theodeberto filio, exercitum in Thuringiam aduersus Herminfridum regem eduxit, ac superatis, quæ in campis Thuringiae sibi paratae erant, insidiis, praelio congressus eum cum suis omnibus in fugam dedit, atque vsque ad amnem Onestrudem insequutus, tantam

tantam ibi stragem eorum edidit, ut alueus fluminis alta cadauerum congerie cum-
 mulatus sit. per quam, tanquam per pontem transgressi Franci in potestatem Thu-
 ringiam redegerunt. Tum vero Clotharius Rodogundem Bertharij quondam re-
 gis filiam captiuam fecit, sibiq; domum reuersus despōdit. Theodoricus vero Her-
 minfridum, fide incolumitatis data, ad se venire Tolbiacum iussit, eumq; de muris
 vr̄bis secum ambulantes deiecit. Dum autem Theodoricus in Thuringia erat, ru-
 mor Aruernis increbuit, ipsum morte esse absumptum. quare Arcadius senator Ar-
 uernus Childebertum fratrem eius ad vr̄bem accipiendam inuitauit, & progressum
 refracta porta recepit. quo factō, cum auditum esset, Theodoricum sospitem do-
 10 mum esse reuersum, Childebertus vr̄be euestigio cessit. Insequens annus consules § 22
 habuit, ambos in Occidente, Symmachum, & Boetium iterum, ipsius Symmachi
 generum. Eo anno Clotharius, ac Childebertus in Burgundiam castra mouere, at-
 que, Augustoduno obsessō, vniuersam, Godomaro rege fugato, sui iuris, ditionisq;
 fecere. Theodoricus vero contra Aruernos profectus, ad vr̄bem posuit castra, Ar-
 cadio senatore Bituricas, quæ vr̄bs erat Childeberti, clapsō. atq; ipsa suburbana mi-
 liti permisit diripienda. ex quib. nonnulli basilicam S. Iuliani, refractis ostiis, violare
 sunt ausi. quorum principes à spiritibus immundis arrepti statim infestis in semet
 dentibus irruerunt, clamantes, cur nos martyr sancte sic crucias? Quintianus autem
 20 episcopus interim per noctem psallendo muros obambulabat, Deum orans, ut vr̄bi
 succurreret. itaq; Theodoricus cum de excindendis mœnibus cogitasset, repente
 furore correptus est. qua re animaduersa, amicus illum admonuit, ut consilio desi-
 steret. nam vr̄bem illam cum multorum aliorum Sanctorum, tum in primis ipsius
 Quintiani episcopi præsidio tectam esse. cui ille ita paruit, ut statim edixerit, ne cui
 intra octo millia passuum iniuria fieret. Vr̄be inde potitus Sigualdum propinquum
 suum ibi præfecit, nihil relinquens, nisi terram vacuam, quam efferre non potuit.
 idem etiam Quintianus, cum quodam tempore ciuitas siccitate nimia laboraret,
 supplicationes ante Ascensionem ad opportunam impetrandam pluuiam vetere
 ritu ecclesiæ celebravit. die vero tertia portæ vr̄bis appropinquantem ciues roga-
 runt, ut ipse precationem ad Deum pro impetranda pluuiâ faceret. se enim confide-
 30 re, illo orante, Deum extemplo aquam vberissimam effusurum. tum ille prostratus
 in hunc modum orauit: *Si clauso cælo pluuiæ non defluerint propter peccata populi, & con-
 uersi deprecati fuerint faciem tuam; exaudi Domine, & dimitte peccata populi tui, & da plu-
 uiam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum.* Atq; his dictis, atris repente nubibus
 cælo offusis, salutaris pluuiæ humor excussus est, confitentibus omnibus, se tantum
 boni ipsius Quintiani meritis assequutos. Boëtius consul, homo non minore inte-
 gritate, quàm eruditione ornatus memorabile consulum administravit, grauib;
 ut ipse scripsit, cum improbis hominib. inimicitis pro tuendo priuatorum iure, spre-
 ta potetiorum offensione, susceptis. siquidem Conigasto in imbecilli cuiusq; fortu-
 40 nas inuadenti occurrit, Triguillam regiæ domus præpositum ab incepta, & perpetra-
 ta iam prorsus iniuria reuocauit. miseros homines, quos infinitis calumniis impunita
 Gotthorum auaritia diuexabat, obiecta periculis auctoritate, protexit. prouincia-
 lium fortunas cum priuatis rapinis, tum publicis vectigalib. pessundari non aliter, quàm
 qui patiebantur, indoluit. cum, acerba fame sæuiente, grauis, atq; inexplicabilis in-
 dicta coemptio profligatura Campaniam videretur, certam aduersus præfectum
 prætorij cõmunis commodi ratione suscepit, ac, rege cognoscente, contendit, & ne
 coemptio exigeretur, euicit. Paulinum cõsularem virum, cuius opes Palatini canes
 iam spe, atq; ambitione deuorassent, faucibus eorum eripuit. ne Albinum consula-
 rem virum præiudicata accusationis pœna corripere, inimicitis se Cypriani dela-
 50 toris opposuit. Veronæ autem cum rex maiestatis crimen in Albinum delatum ad
 cunctum senatus ordinem traducere moliretur, maxima periculi sui securitate de-
 fendit. his de causis cum regis, ac ceterorum in se odia concitasset, postero anno, § 23
 postquã consulatu abiit, Maximo consule, accusatus est à Basilio, Opilione, & Gau-
 dentio. ex quib. Basilius olim regio ministerio depulsus ad eam postulationem æris
 alieni necessitate descendit. Opilio vero, & Gaudentius, cum ob multa flagitia exi-
 lio destinati ad sacras ædes recusantes imperium cõfugissent, rex edixit, ut, nisi intra

præstitutum diem Rauenna discederent, frontibus iniustis expellerentur. atque eodem tamen die deferentibus eisdem Boetij nomen acceptum est. summa vero criminum fuit, ipsum saluum esse senatum voluisse, ac delatorem, ne documenta deferret, quibus senatum læsæ maiestatis reum faceret, impedisse. litteræ etiam falsæ prolatae, quibus eundem Romanam sperasse libertatem arguebatur. Hoc primum tempore Theodoricus à semetipso defecit, atque nimis aspirantis fortunæ blanditiis captus prauo studio optimum ingenium corruptit, ac pristinam illam inter omnes æquitatis, moderationis, ac sapientiæ laudem præcipiti quadam nefandi iudicij temeritate fœdauit. siquidem falsis accusatoribus, & fictis criminibus fide adhibita temere in fontem hominem condemnavit, ac, publicatis bonis, Ticinum 10 relegauit. vbi ipse semet consolans hæc ipsa, quæ diximus, de se memoriæ prodidit. Romæ viii Idus Iulij Ormisda pontifex Ecclesia post multos annos pacata, ex humanis rebus eximitur, atque ei Ioannes presbyter è Tuscia subrogatur. Iustino 524 inde iterum, & Opilione consulibus, Transamundus rex Vandalorum in Africa, Iornande teste, decessit. cui successit Hildericus ex Eudoxia Valentiniani Augusti filia procreatus. is, licet à Transamundo sacramento adactus, ne Catholicis parceret, longe aliud, quàm superiores reges, ingenium induit. atque initio regni Catholicos ab exilio reuocauit, & episcopis ecclesias reddidit. vnde status religionis in Africa aliquando tandem est restitutus, qui post Genserici irruptionem fuerat profligatus. Iustinus autem Imperator ad alia Imperij sui illustria decora hanc quo- 20 que adiicere laudem voluit, vt Arrianos demum prorsus à se dissipatos cõstans posteritas prædicaret. siquidem acerbissime ferens, perfidiam eorum tot Conciliorum sententiis iugulatam, atque confossam adhuc tamen in Oriente spirare, edictum proposuit, vt Arrianorum ecclesiæ vbique Catholica religione consecrarentur. quod vt Theodoricus accepit, dolorem ferre non potuit, ac prauum alterum consilium Catholicos insectandi in Italia cepit. itaque Ioannem pontificem ad se accersitum legatum ad Iustinum pro imperio contendere iussit, admonitum, vt suas Arrianis ecclesias redderet, neque negotium vllum facefferet; sin minus, se eadem mala Catholicis in Italia moliturum. Afri, cum Hildericis, & Vandalis bellum facere statuisent, Theodoricum in societatem armorum inuitarunt. quod Theo- 30 doricus repudiauit, diffusus, se posse, classem, quam rei magnitudo postulabat, in 525 Africam transportare. Proximo inde anno, quo Probus cum Philoxeno consul fuit, Ioannes pontifex, comitantibus senatoribus, Theodoro, Importuno, & Agapeto excõsulibus, & Agapeto Patricio, vrbe egressus Græciam versus iter arripuit. cum autem Corinthum adiuisset, ac terra inde pergere vellet, mansuetum equum quærens, vnum à nobili quodam viro, quem in vxoris mansuefecerat vsu, accepit, ea conditione, vt postquam ad certum locum venisset, eum remitteret. quod cum is præstitisset, res incidit ad admirationem insignis. quippe equus, qui sanctum pontificem detulit, postea nunquam dorso suo insidentem mulierem passus est. qua re animaduersa, ille equum remisit, orans, vt possideret, quem suum se- 40 dendo fecisset. huius historiæ S. Gregorius est auctor. Aduentus inde eius nuncium vbi Iustinus accepit, incredibili lætitia elatus pontificem Romanum maximo sibi honore suscipiendum vel ad pietatem apostolicæ sedi præstandam, vel ad pro- dendum posteritati exemplum, putauit. neque vero Imperator solus, sed vniuersa quoque Græcia in eiusmodi spectaculum erat erecta. neque enim per vlla ante se- cula Romanum pontificem incolumem terra vlla, præterquam ipsa religionis Catholicæ mater Italia, viderat. siquidem Liberius ærumnis, atque exilio deformatus in iis regionibus inuitus fuerat obuersatus. Constituto igitur die aduentanti ad urbem Ioanni Iustinus obuiam cum tota ciuitate processit, clero cum crucibus, ce- reisq; prægrediente. eumq; vt vidit, continuo tacita religione perfusus ad pedes 50 venerandi caussa procubuit. atque per Auream portam in urbem induxit. vbi pontifex cæco astanti, atque opem imploranti in nomine Iesu Christi aspectum, lucemque restituit. inde in templum deductum dextrum dextro in folio sibi affidere iussit. hiantis officiis illud subinde Iustino Ioannes benigne rependit, quòd apud eum diem Dominicæ Resurrectionis clara voce Romanis precibus, ac riti- bus

būs celebrauit. atque in ipsis sacris Iustinum magna ceremonia insignibus Augustalibus nouo, atque in posterum memorando exemplo decorauit. itaque ab eo contrā patenam, calicem, & pallia aurea, gemmatāque accepit. causam inde exponere susceptæ legationis ingressus, non solum ipsum ad ecclesias Arrianis reddendas non impulit, verum etiam ipse omnes, quas potuit, vbique ritu Catholico consecrauit. ac demum Romam reuersus, munera Iustini tribus basilicis S. Petri, S. Mariæ, & S. Laurentij dispertiuit. Eodem anno Constantinopoli, & Antiochiæ terræmotu vehementissimo laboratum. Theodoricus rebus Ioannis in Græcia gestis exacerbatus crudelitate ingenium suum, alioqui mite, ac placidum, incirauit.

10 itaque Maximo, Olybrioq; consulibus, ipsum cum sociis legationis Rauennam ve- 526
nire imperauit, ac grauisima Catholicis comminatus in carcerem condidit, atque ibi omni humanarum ærumnarum genere conflictauit. & Symmachum Boetij socerum comprehendit, atque ambos arctiori custodiæ tradidit. neque enim (quod quidam tradiderunt,) cum Boetio fuerat relegatus. siquidem ipse scribit in Consolatione: *Viget incolumis Symmachus socer, ac suarum securus, tuis ingemiscit iniuriis. viuit vxor. quid dicam liberos consulares, quorum iam vt in id ætatis pueris vel paterni, vel auiti specimen elucet ingenij?* Ioannes autem, dum fuit in carcere, causam tueri Catholicorum non destitit. itaq; III Idus Iunij ad episcopos Italiæ sic scripsit: *Hortor vos, ac moneo contra Arrianam perfidiam, que olim non semel, sed sepe damnata est, & modo in quibusdam reuiuiscit, armari gladio Spiritus sancti, vt eam ita, adminiculante diuina gratia, opprimere, & extirpare valeamus, vt nec radix eius in posterum inueniatur. Ecclesias vero Arrianorum vbicunq; inueneritis, Catholicas eas diuinis precibus, & operibus absq; vlla mora consecrate. quia & nos, quando fuimus Constantinopoli tam pro religione Catholica, quam & pro regis Theodorici causa negotij, suadente, atque hortante, Arrianosq; extirpante piissimo, atque Christianissimo Iustino orthodoxo Imperatore, quasunque illis in partibus eorum ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas, domino opem ferente, consecrauimus. Et quamquam Theodoricus eorum peste tactus intrinsecus & obuolutus extrinsecus nos, & omnem regionem nostram perdere gladio, & igne consumere minetur, nolite tamen propterea deficere.*

30 His scriptis, haud multis post dieb. fame, siti, & ceteris carceris incommodis maceratus xv Kal. Iulias expirauit. corpus eius Romam delatum vi Kal. sepulturæ mandatum est. in locū eius Felix quartus viii Kal. Augusti suffectus est. Ioanne extincto non contentus Theodoricus, inde Symmachum, & Boetium asseruatos inuasit, atque eorum vtrique caput desecari crudelissime iussit. cuius temeritatis eum post breui, sed frustra, pœnituit. nam paucis post dieb. cœnans, cum ingentis piscis caput à ministris appositum aspexisset, caput Symmachi sibi videre visus est, eminentibus inferiore è labio dentibus, & toruum oculis intuentibus furibunde sibi, atque aspere minitari. cuius spectaculi fœditate percussus subito horrore correptus est. itaque in cubiculum regressus, lecto decubuit. atque adhibito Elpidio medico re exposita, patratum à se in Symmachum, Boetiumque facinus acerbe

40 flere instituit. tantumque ex ea re dolorem concepit, vt morbum propterea exitialem contraxerit. ex quo cum se moriturum videret, Gotthos Comites, atque optimates ad se acciuit, ac, presentibus eis, Athalaricum Amalasuenta filia, & Eutharico pridem mortuo natum regem declarauit, eosque palam ipsum tanquam regem colere iussit. & vt senatum, populumque Romanum amarent, atque imperatoris amicitiam, gratiamque fouerent, admonuit. cuius auctoritatem illi non solum verbis, sed etiam sacramento probarunt. neque ita multo post animam efflauit, die nonagesimo octauo post Ioannem, anno regni sui tricesimo, ætatis septuagesimo secundo; non minorem hostibus terrorem, quam populis suis desiderium sui relinquens; quod iustitia, fortitudine, sapientia, atque omni denique regia laude præstiterat. quo factum est, vt Italia per multos antè annos, reuocato in pristinam securitatem, ac prope etiam splendorem Imperio, aut pace firmiore, aut otio vberiore, quam ipso regnante, non sit vsa. siquidem & à finitimorum barbarorum incursionibus, & à domesticis seditionibus fuit tranquilla. sed has omnes laudes vna Arrianæ perfidiæ temere cultæ insignis labefactauit infamia. siquidem narrat Sanct. Gregorius, solitarium magnæ virtutis virum apud Liparas

habitantem, qua die ille excessit, Gottho cuidam nobili dixisse, visam à se regis Theodorici animam, quæ à Ioanne pontifice, & Symmacho Patricio in ollam Vulcani mergenda portaretur. Mortem ei imminentem portendit statua eiusdem Neapoli posita, cui caput per eos dies fortuito decidit. Theuda præfectus Theodorici in Hispania, muliere nobili, & locupletè, & multorum oppidorum domina in matrimonium ducta, duo millia hominum confecerat, ac verbo Theodorici permissu Gotthis præerat, re tyrannidem exercebat. Theodoricus autem ante obitum veritus, ne sibi cum præfecto suo certandum esset, & Francos, ac Visgotthos aduersos haberet, exercitui eum præesse permisit, tantummodo dum bellum gereretur, verum per amicos admonitus curauit, vt ad se salutandum veniret. quod cum ille in diem differret, Theodoricus est mortuus. quo factò, Theuda regnum inde, aut certe partem eius pro suo arbitrio gessit. Eodem anno Longobardi Gotthis aliquando in Italia successuri ex Rugia in Pannoniam, Andoino rege ducente, pulsus Ostrogotthis transierunt.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XVII,

Qui est regni Gotthorum in Italia secundus.

ATHALARICVS REX.



VSTIS Theodorico solutis, Athalaricus puer octo annos natus extemplo regni hereditatem adiuit. atque ex præscripto Amalafuentæ matris omnia pro sua voluntate, iudiciòque curantis, legatis, litterisque missis, senatum, populùmque Romanum, ac Romanos, Gotthòsque in Italia, Dalmatia, & Gallia constitutos certiores de sua prouectione fecit, iurans, se omnibus, qui in sua, atque aui sui auctoritate mansissent, ius æquabile redditurum. Omnium litterarum exempla sunt apud Cassiodorum in hac sententiam: *Scire vos volumus, nos nuper ab auo nostro Theodorico in extremo vita discrimine posito regni heredes maximo animi studio institutos. procures autem, qui aderant, iudicium eius tanta consensione probasse, vt diuina in ea re voluntas agnosceretur. Quos imitati Romani, & Gotthi non solum suorum nobis studiorum alacritatem, sed etiam iurisdictioni religionem continuo præbuerunt. Quorum vos etiam vestigia sequuturos non dubitamus. itaque, vt primordia nostra, nostramque erga vos humanitatem perspiceretis, legatos ad vos nostros misimus, vt vobis item nomine nostro iustitiam, & æquabilem clementiam interposito sacramento sponderent.* Ipsi porro Amalafuentæ reginæ ingentia corporis, animique decora referuntur. primum tanta in ore dignitas, vt nemo eam sine summa veneratione spectaret; tanta in dicendo vis, vt cum Græce, Latinèque sciret, verba faciens, omnium ad se voluntates, animòsque conuerteret. ingenium deinde virile, ac prudentia maior, quàm sexui conueniret. itaque, Athalarico per ætatis imbecillitatem ad regni gubernacula tractanda nondum idoneo, ipsa tanta iustitiæ, ac sapientiæ fama administravit, vt omnes in summam admirationem adduxerit. nam non modo Romano cuiquam vitam, aut bona non ademit, sed etiam liberis Symmachi, & Boetij, quæ fuerant erepta, restituit. imprimisque vniuersam Romanorum nationem aduersus inhiantem Gotthorum libidinem texit. Amalarico vero regi Hispaniæ sororis suæ filio Galliæ ultra Rhodanum